Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-139994-p0001-2

Xf 24

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-139994-p0002-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-139994-p0003-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-139994-p0004-0

TRES ORATIONES.

PRIMA

De cognitione herbarum, tyroni medicinæ apprimè necessaria.

SECVNDA

De Moschi aromatis preciosissimi natura & efficacitate.

TERTIA

De disciplina Anatomica, quo orsu cœperit, & quomodo sensim aucta, & ad posteros transmissa sit: tum de Galeni libro, qui de ossibus inscribitur, & tyronibus nuncupatur.

QVAE HIS ANNEXA SVNT, PAgella sequens exhibet.

AVTHORE

SALOMONE ALBERTO, Medicinæ Doctore & Professore eius in Academia Vitæbergensi publico.

NORIMBERGAE.

ANNO

CIↃ IↃ XVC.

ORATIONIBVS AD-
IECTA SVNT.

I.

Themata Medica de morbis Mesenterii, Ardore Stomachi, singultu, & de Lacrimis: publicè disputata Vitæbergæ, cum quatuor viri clarissimi testimonium profectus sui in doctrina & usu artis Medicæ accepturi essent, authore ipsis conferente.

II.

Structura ureterum renis dextri mirifica.

III.

Adumbratio & descriptio sursum nutantium membranularum σιγμοειδῶν in venis brachiorum & Crurum, nunquam antehac edita.

KŒN.PR.FR.
UNIVERS.
ZV HALLE

INCLYTO ET GENEROSO DOMINO,

Dn. ANDREAE WOLFGANGO Baroni in Polhaim &c.

Salomon Albertus Noribergensis S. D.

HAs meas de utraq; disciplina herbarum & anatomica, ac de Moscho oratiunculas, unà cum disputatis a me thesibus & quibusdam aliis, ausus fui, cum hac quasi compellatione peculiariter ad T. Generosam Humanitatem mittere Baro inclyte, quòd singulari benevolentia me semper complexus esses, & quòd in ista quidem ætate tua, eruditione doctrinæ & acumine ingenii præditus, &, ut ille ait, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων de argumentis eiusmodi judicium pronunciare tuum & limam adhibere censoriam possis. Neq; dum enim memoria nobis excidêre curricula generositatis tuæ, ad nihil non natæ, & ad spem excitatæ salutis publicæ, ac dignitatis: sed satis adhuc est notum atque testatum, quàm feliciter ea (quod rarissimi est exempli) in litteris plurimis adoleverit, neque illis vulgari-

bus, quàm pleno paſſu, ſpacia disciplinarum politioris humanitatis & ingreſſa ſit, & quantam earum partem clariſſimorum maiorum ſuorum veſtigia naviter perſequendo, exſpectatione celerius confecerit, tum in aliis Academiis compluribus, tum in hac noſtra, ad cuius gubernaculum ſedit, quod ſe dignè tenuit ipſa, & tractavit præclarè. In qua ipſa non modo fundamenta abs te jacta ſunt eius ſapientiæ & virtutis, qua inſtructus Rempub. aliquando laudate gereres, ſed utriusq; teſtimonia & monimenta illuſtria etiamnum exſtant ad memoriam poſteritatis. Et eſt cur fide jubere aliis tuo nomine poſſe videamur, te, ſi perſtiteris in iſta tanta progreſſione ad virtutem, & incitatione ſapientiæ, & cogitatione utriusq; tibi ipse quaſi ſtimulos ſubinde admoveris, neq; quicquam egregiam generoſi animi tui alacritatem ſtudiumque repreſſerit, aut impedierit, nemine tuorum fore poſteriorem, & multos etiam fortaſſe ſuperare poſſe: ad quam quidem virium tuarum experientiam tibi benedictionem divinam ominamur. Quò minus verendum mihi eſt, ne quadam aſſentatiuncula tuam gratiam aucupari velle videar, cum neq; tu is ſis, qui te capi illiberalibus aucupiis patiare, neque ego ad iſta omnino eruditus: quæque dicta a me ſunt, non aliorſum ſpectent, quàm ad rationem conſilii in hisce chartis, hoc πολυμαθεα-

λυγραφωτάτῳ ſeculo, & moroſitate ingeniorum ſumma publicandis, qua de conſtare etiam aliis volumus. Secus qui de illa exiſtimaverit, eum libenter in ſententia ſinimus permanere ſua, neque in noſtram ut eat, multum curamus, bona ſpe, haſce litteris mandatas & in publicum prolatas cogitationes, qualescunq; ſint (ſunt autem certè exiles, neque ad opinionem hominum elaboratæ, neque eruditorum lectione magnoperè dignæ) favore & patrocinio benignitatis tuæ, ſi minus ſuo genio fultum iri. In cuius enim poteſtate hoc fuerit, ut imminentium judiciorum exſpectationem exhauriat, itaq; elaboret ſua, ut displiceant nemini, ſed arrideant pariter omnibus. Quod quidem qui vel commentari ſecum, aut ſuscipere etiam auſit: næ ipſum nimium habere cerebri, & plus cæteris ſapere velle putandum eſt. Non enim unum cuique ſapit, & eſt certè palatus ingeniorum diverſus, ut ſi quid aliud. Vt interim non attingam eius faſtidia, non rarò, quæ optima ſunt, reſpuentis averſantisq;. Hæc quàm prudenter tibi ſcribam neſcio, & eſt fortaſſe de his ipſis generoſa tua virtus cogitationem ſusceptura. Sed illud certò ſcio, me voluntati generoſitatis tuæ in me multò benigniſſimæ aliter reſpondere non poſſe, quàm hoc qualicunque obſequii mei monimento, ſubjectique erga te animi velut arrabone, quod

perinde acceptura eſt generoſa humanitas & virtus tua, atque magnus ille rex, utraque manu hauſtam e profluente aquam, hoc eſt, εὐμενῶς & προθύμως, ipſumq; munus ὑ τῇ χρείᾳ τȣ̃ διδομένȣ, ἀλλὰ τῇ προθυμίᾳ τȣ̃ διδόντος, æſtimatura. Longius excurrere jam Epiſtolam non decet, cuius compellationem ut humanitas & virtus tua non contrariam ſibi eſſe ſinat, ſubmiſsè ac vehementer oro. Dabatur Vitæbergæ XX. Decemb. anno Ieſu Chriſti CIↃ IↃ LXXXIV.

ORA-

ORATIO DE HERBARVM DISCIPLINA,

Habita Kalen. Sextilis anno CIↃ IↃ LXXVII, ſub initium prælectionis librorum Dioſcoridis, titulo περὶ ὕλης ἰατρικῆς.

PHiloſophandi ratio tripartita eſt, una quæ animum componit & colit ad beatitudinem, tum in cognitione poſita, tum in actionibus conſtituta: altera quæ curat ſtatum atq; habitudinem corporis: tertia quæ init rationem fortunarum. In hac partium philoſophiæ diſtributione, ad tria bonorum genera reſpectum authores mihi videntur habuiſſe, quorum ea, quæ ſunt animi propria, ſua cuiusq; ſunt, corporis & fortunæ verò, quaſi extranea: etſi fortuita quæ ſunt, ea propriè externa dixêre, Græci τὰ ἔξω καὶ θυραῖα, quòd ſint extrinſecus, id eſt, neq; in animo, neq; in corpore, ſed extra nos poſita. Bona animi inter reliqua maxima ſunt, ſecunda corporis, externa tertia, ut ſentiunt Peripatetici, nec multò veteres Academici ſecus. Et naturalis enim ratio ſcit hunc ordinem, & Chriſtus ſuopte ſuffragio comprobat, animum pluris putans quàm corpus, & hoc rurſum pluris, quàm veſtimentum: poſtre-

mæ autem vocis ambitu, licet arctiore, placuit Deo τὰ ἐκτὸς comprehendere singula atq; universa. Secundum quæ jam de gradibus etiam, quibus philosophandi rationes distinctæ sunt, proclive cuivis fuerit statuere, modò Christi & naturæ regula paulò exactius eas mensus fuerit. At enimverò licet externis tertiæ adeoq; postremæ relinquantur partes: præsidio tamen eorum homo, qui ex animo constat & corpore, perinde carere nequit atq; aëre, a cuius respiratione ipse sustinetur: Vt sese bona per se vix tueantur singula, quin immò unum ab altero aptum esse, & rationes inde suspensas habere suas videatur. Par ratio est studiorum Philosophiæ, suis quidem circumscriptorum limitibus, sed ita confinium, ita copulatorum mutuè connexorumq;, ut omnia omnium sint participia, neq; alia ab aliis possint separari, sed uno quodã societatis vinculo contineantur omnia, & mancum protinus ac defectum sit, quodcunque ope destituatur alterius. Quodlibet enim eorum dum in se uno versatur, atq; insistit, ferè etiam integritatem suam amittit. Quo rectius mihi videntur ii facere, qui cognata studia non dirimunt, sed pariter vacant omnibus, quod haud scio, an de se præstare possit quisquam mortalium omnium, nisi qui ad eum modum paratus, & a natura subornatus in vitam venit, & instrumenta habet ad istud obtinendum probè accommodata. Cumq; hoc perpaucis contin-

contingat, & verò humanarum mentium impetus admodum sint dissimiles, neq; æquè omnes ad philosophandum animati, fit ut alius alii sese dedat studiorum generi, & quisq; ei ferè potissimum, ad quod sua ipsum Minerva ducit, quoq; ingenio & voluntatis inclinatione magis propendet, in quo denique confidit operæ se navare plurimum posse. Qui quidem officio suo & ipse faciet satis, siquidem id genus, quod maximè adamârit seriò & præter cætera egregiè colat, reliqua interim neq; inaudita, neq; incognita prætereat, sed ipsa quoque addiscat in transcursu, veluti gustus percipiendi gratia, quando ἐν ἅπασι, ut dicitur, τὸ τέλειον ἀδύνατον. Affert ubiq; unius tenoris cantilena satietatem: delectat contra varietas, & hîc, & ubiq; ut in auditionibus & spectaculis.

De his igitur ut præfarer, me doctrinarum genera moverunt, quorum unum cultum animo adhibet, alterum curationem corpori. Tertium circa ea negociatur, quæ fortuna hominibus suppeditat: in quæ universa Philosophia quasi caput & summa aptè distribuitur.

Quoniam autem de extremis duobus, unde Logices, Moralis & Oeconomiæ deductæ sunt leges, ab aliis jam antè dictum est ex hoc loco, & fortasse pluribus dicetur deinceps, id quod mihi maximè libuit, ad medium me converti, quod in statu habitudineq; corporis occupatur, & illius quidem disciplinæ eam potissimum par-

tem putavi seligendam esse, quæ naturas stirpium & vires pertractaret, partim sola observatione atq; experientia, quam oportet longinqui temporis usu, & artis exercitatione bene stabilitam atq; confirmatam esse, partim ratione juxta ac periclitatione perceptas: non eò quidem tantum, quòd inest ei doctrinæ generi libera quædam animi oblectatio, quòd de se mirabilem utilitatis fructum discentibus promittit atq; suppeditat, quòd necessitate ad tutelam vitæ mortalium degendæ in his terris summa, denique quòd vetustate (cuius vis certè apud omnes semper maxima fuit) aliis ante stat: sed quia mihi, & instituto appositè quadrare meo videtur, cui disciplinam anatomicam & simplicem medicinam tradendi tyronibus data est ab iis provincia, penes quos in hac schola arbitrium est, & potestas, doctrinam publicam constituendi juxta captum uniuscuiusq; discentium. De hac parte doctrinæ operæ precium est erudiri scholasticos nostros, quæ præterquam quòd suæ cuiusq; valetudini cavet, & fundamenta ac ceu tyrocinia quædam ponit artis medicæ, etiam expressa monstrat vestigia Dei, hominum amantis, neq; quicquam prætermittentis eorum, quæ communis vitæ usui seu inservire, seu quoquo modo adaptari possunt. Illis ergo non peribit huius horæ spacium, qua aurium operam mihi sunt daturi, quo ad peroratũ fuerit. Reliquis qui honoris mei caussa

ſa acceſsêre, quod vel de dictione mea, profectò minimè tali, quæ ſibi audientiam facere queat, vel de rebus dictione explicandis poliendisq; policear, equidem non habeo: quin eos vehementer etiam atq; etiam oro, ne jacturam temporis, quam forte in me audiendo facturi ſunt, iniquo animo ferant. Sicubi tamen & ipſos illos, quod delectet ſaltem, non autem doceat, occurrerit, utiq; arbitrabor, plus me feciſſe lucri, quàm ſperare potuiſſem. Neque enim eum me profiteor, qui ſolidum ſuum cuiq; ſolvere queam: qua in veritate crimen arrogantiæ mihi haudquaquam extimeſcendum erit. Antiquitatis omni judicio, & naturali quodam ſenſu, autoritas atque dignitas graviſsima eſt. Quò propius enim unũquodq; abeſt ab ortu, & divina progenie, hoc eſt & melius & verius. Artes cæteræ propemodum omnes, hominis ſtudio atq; induſtria, poſteaquam a Deo creatus eſſet, excitatæ primùm, ac novis ſubinde auctibus ſucceſſu temporis amplificatæ ſunt. Solæ herbæ unà cum ſuis viribus, non expectato cæli favore, ortus ſui capeſsivêre primordium ſtatim Elementis conditis, homine tantò priores, quantò cælo terraq; poſteriores, in medium incidentes creationis articulum. Affirmat etiam Empedocles, ſtirpes extitiſſe antequã circumflexus ſolis expanſus, ante etiam quàm nox dieſq; discriminata eſſent. Quo nomine nullius rei aut artis inventio, ad Deum authorem rectius refertur,

quàm

quàm stirpium & medicinæ herbariæ. Nam ut terra ab aquarum in devexa loca jam abductarum mole atque colluvie primùm emersa, contagioq; illius absoluta respiravit, dicto Creatoris audiens sine mora, incredibiliq; celeritate, licet immunis adhuc rastroq; intacta nec ulli saucia vomeribus, pullulare ac virere cœpit, motu quodam interiore, quem ipsa non a sole libaverat, fonte τ ζωϊκῆς δυνάμεως, (nondum .n. in rerum natura is existebat, cœli luce etiamnum quoquoversus fusa atque extenta) sed intra se de mandato Dei conceperat, ex quo frigida ac sterilis prius tantam vim vitalem, contrà atq; hodie, in ipso statim ortu hausit, ut tanquam dudum prægnans & parturiens eniteretur, atq; ex abditis ac penetralibus visceribus suis profunderet innumera germina, tot species plantarum suis indutarum germanis atque vernaculis proprietatibus, tot etiam fructifero fœtu gravidas arbores, e quarũ fructibus vim continentibus seminariam, statis sese proferendam temporum circuitibus, homini postea curatum est nutrimentum, bestiis terrestribus, cæterisq; volucribus, & quæcunq; moverentur vitali animata spiritu, herbarum viriditate ad se pascendum adjudicata. Sanè fructus arborum cibus erant hominis ante ruinam proprius, qua de caussa omnis generis arboribus manu Dei satum erat viridarium plantatumq; aut potius more cæterarum rerum vi verbi

pro-

productum, qui est paradisus voluptatis, in quo mundi civis ille homo degeret, & post Archetypi sui, cuius ipse exemplar esset, veram agnitionem, ea quasi recolendo exerceret, exercendoq; recoleret, quæ ab ipso ortu animus callebat. Postea verò quàm fines mandati transiit, ab officii præscripto digressus sui, nonnihil permutata est victus ratio, & πρωτόπλας & multatus terræ ubertate spontanea, quæ prius absq; agricolæ opera & arte fertilitatem didicerat, unaq; cum posteritate ad Cererem, & ad herbas agri, pecudum destinatas pastui, divinitus rejectus est. Neq; dum verò ad κρεωφαγίαν perventum erat, neque ora cruore polluta, in illo tam fœcundo primordio, cælo adhuc novo, ideoque benigniore. Sub Noacho primum (qui humani generis οἰκιστὴς est, atque instaurator & alter propagator, totiusq; naturæ, ut Theodoretus loquitur, quasi scintilla, & juxta authorem libri sapientiæ, σπέρμα φθέσεως mundo nascituro: græcorum fabulæ inde Deucalionem nuncupavêre) seculo cruoris effusione fœdato, & sanguine jam hominibus noto, carnibus vesci permissum est, quòd fortasse primam vivendi legem, simplicem quidem illam, sed naturæ magis consentaneã, ætas ferrea, hoc est, gigantium ausa fuisset ante diluvium labefactare, atq; perfringere, capta illicitis cupiditatibus, et inter copiam rerum omnium libidine elata ad voluptates, quæ a natura & societate animantium

rium prorsus alienæ essent. Caussam illius permissus judicârim fuisse commeatus inopiam, ex arborum subversione, & mutata terræ pristina ubertate: quæ quòd vastata esset, neque nihil contraxisset ex annua eluvione vitii, recolligere semetipsa, & ad producendum mites fructus parare, adhæc sublunaris orbis etiam, ex pluviarum diuturnitate penetratu difficilior, perpurgari tàm citò nequiit. Ex iis igitur animalibus, quæ sarta tecta, & ad spem posteritatis aucta fuerant in arca Noachi, carnium esus a Deo indultus tùm est humano generi, non ita multò pòst in diversas mundi plagas extrudendo propagandoq;. De quibus constare jam potest, pristinam legem, et avitam vivendi rationem, subindè propter hominum delicta mutatam & laxatam esse, prius arborum fructibus, & virentibus agri herbis astrictam.

Vt verò, unde divertit, eodem redeat oratio, etsi herbæ ideo conditæ sunt, ut fructus, & quæ inde capiuntur, semina ad usum alendi destinarentur: aliis tamen insuper viribus jam tùm eæ fuerunt præditæ, quarum θεωρία in homine infuit, quas in præsente statu nostro medicinæ ad sanationes morborum convertit. Integra natura medicinæ non indiguit: nunc post ruinam corporibus nulli non ægrotationi & morborum generi obnoxiis, non tantum alimentis opus est, sed & remediis. Quod igitur Conditoris sapientia tam multas dedit tamq; varias

plan-

plantas, arteq; mirabili & consilio distribuit, ut aliæ vescæ essent, esuiq; aptæ, aliæ prodessent ad medicationem: neq; eas uno tempore anni genuit, ut semper & novitate delectaremur, & copia: ex eo verò documentum capere licet, quàm amans DEVS sit hominum, quàm benignus & providus in genus nostrum universum, nullius bonæ rei per se capax sine divina munificentia. De hoc Creationis mysterio, & accuratissimè servata in ea, providentiæq; plena omnium naturæ partium Oeconomia, cum inaudivissent aliquid ii, qui in populo & Ecclesia Dei non censentur, & verò Poëtæ inprimis, eam medicinæ partem, quæ herbarum stirpiumq; naturas vestigando rimatur, easq; quàm maximè fieri potest, excutit summa diligentia, Deorum immortalium inventioni similiter consecrarunt. Et potuerunt enim illud aliqui eorum fama auditioneq; accipere a patribus, & discere de ipsorum Cabala, quæ Græcis παράδοσις posteà nuncupata est: latinè non inscitè institutum verteris, aut (ut Agellius facit) traditionem, hoc est, doctrinam non litteris commendatam, sed ore & viva voce, quasi per successionum gradus, traditam familiis, unde longinquis temporibus Sibyllarum vocem deductam esse credibile est, veritate nominum unà cum rebus ipsis partim injuria temporum, partim hominum desidia antiquata atq; exolita. Ab iis igitur, & usitata ipsis religionis professio-

fessione παραδοσίμῳ, poëtarum antiquissimi, erudiri de rerum Creatione, alii etiam pellegendis super ea re posteritati traditis monimentis idem consequi potuêre. Ferunt posteros Sethi, cum ex avo (ut est apud Josephum libro 1. τῆς ἀρχαιολογίας cap. 2. Et apud Zonaram annalium primo) intellexissent fore, ut huius orbis fabrica aliquando vel eluvione, vel deflagratione pessum iret, idq; adeò sæpenumero prædicere meminissent, ne sua inventa rerumq; naturalium atq; cælestium doctrina dilaberentur ex hominum notitia, ac prius perirent, quàm pernoscerentur: ut erant ingeniis, rerum naturalium, astrorum ac totius Matheseos peritia excellentes, binas excitasse columnas, unam ex marmore, alteram ex testa seu latere coctili, utriq; inventa inscripsisse sua, ut si latericiam diluvio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & inscripta sibi spectanda posteris exhiberet. Eum deinceps morem accipimus Chaldæos & Ægyptios, sed minus fideliter, imitatos esse litteris hieroglyphicis, quibus occulta ipsorum philosophiæ constabat. Quicquid autem fuerint Ægyptiæ illæ litteræ, sive σημεῖα, non litteris, sed sculptis rerum animantiumq;, quas pro numinibus ipsi venerabantur, figuris voces significantia, sive characteres & notæ litterarum, solidæ materiæ cælo stylove incisæ, parum moramur in præsentia, ἱερογλύφων mysteria, & quæ apud Orum

Veteres

Veteres ſunt commentati, relinquentes alis discutienda. Hoc ſcire ſatis ſit, antiquiſsima fuiſſe monimenta humanæ memoriæ, atq; huiusmodi ænigmaticis, & a vulgi captu remotis ſculpturis (quarum priſcis ſeculis ſanè multus, haud ſcio an non etiam nimius uſus fuit) veteres conſulere voluiſſe rebus communibus, & ſimul cavere, ne ſapientiæ myſteria, rerumq; naturaliũ ἀξιώματα, quæ litteris communibus vulgo profano prodere nefas ducebant, hominum obruerentur interitu, oblivioneq; poſteritatis extinguerentur. Quantò non modò rectius, ſed maiore cum fide & fructu poſteritatis actum a Græcis eſt, in quorum linguam herbarum ſcientia (cuius, ut disciplinarum penè omnium, gloriam Ægyptus ſibi arrogaverat) adeoq; antiqua medicina univerſa migravit: qui maiorum & avitæ ſtirpis eorum monimenta, ſalutaria item in arte medendi præcepta, & ab herbis petita ac periclitata auxilia, templorum columnis maluerunt apertè dilucideq; inſcribere, quàm iſtiusmodi ænigmatibus ludere, veritatemq; fabuloſis figmentis prætexere, ne, quod una manu largirentur, id viderentur velle altera intercipere. Quo ritu & ipſi medicinam herbariã Diis immortalibus inventione & origine aſsignarunt, utiq; perſuaſum habentes, aciem hominum multo hebetiorem eſſe, quàm quæ in ſtirpium naturas, præſertim abditas, & in illarum admirabiles dotes ſeſe pene-

trare posset, nisi divinitus dirigeretur. Vix uspiam enim in tota philosophia, quæ admirationis soboles est, plura occurrunt θαυμαστὰ καὶ λόγου δεόμενα, καὶ πάντα νοῦν ὑπερέχοντα, quàm in ea ipsa doctrinæ parte, quæ de occultis plantarum proprietatibus agit, non è materia, neq; è temperie, sed à forma, materiam perficiente, temperiemq; dirigente profectis, ideoque ex eventibus, non sensu aliquo, notandis. Etsi esse hodie constat nonnullos, qui qualitates, quæ formarum sunt, id est, naturæ instrumenta penitissima, ad sensuum judicium revocare satagant. Quorum quidem sanè quàm operosum conatum, adeo non reprehendimus nos, ut libenter simus fassuri, atq; etiam professuri, & præ nobis laturi, ipsis illis nos debere tota cum posteritate plurimum, si manca hac in parte consulta veterum, sua commentatione suppleverint, & tot miracula naturæ sustulerint è medio, in quibus adhuc usque cognitiones suas non modò prorsus adhærescere atq; implicari, sed periculosè etiam offendere plerique animadverterunt. ἀξιολόγως sanè versati sunt hactenus in illis perpauci, tum primùm agnoscentes suæ intelligentiæ angustiam, posteaquam in hunc dubitationis mucronem præcipiti impetu incurrissent. Multa affirmat Galenus in 2. τῶν καθόλου, esse inter ea amuleta, quæ Archigenes capiti, Coronæ modo, dolorem eius arcendi gratia adalligârat, οὐδένα λόγον ἰατρικὸν adepta, sed efficaci-

ficacitatem suam proferentia κ᾽ ἵνα θαυμαστὸν ἀνυπάθειαν, ἄγνωστον ἀνθρώπῳ, ideoq; relinquenda rerum pericula facientibus. Alicubi ridet Præceptoris sui Pelopis ambitionem, jactitantis se omnium rerum nosse caussas. Quod si Fabius inter virtutes grammatici numerandum censuit, quædam nescire, quantò magis nobis, ut non dicam necessarium, saltem cum maiore venia erit, in rerum tam reconditarum indagine nonnulla ignorare? Beatam verò alteram illam futuram vitam, quæ docebit nos omnia: nunc enim meta intellectus nostri est.

De antiquitate huius doctrinæ habetis: audite nunc porrò cætera. Omnes res, in quibus contemplandis aliquid operæ studiiq; ponitur, aut necessarii, aut utilis, aut delectabilis genere comprehenduntur. Singulorum vis in perpellendis hominum animis, sanè magna est, at utilitatis inprimis, cuius aliqua saltem objecta specie, statim commoveri nos contingit, detracta eadem, quantum in cuiusq; animo est roboris & nervorum, elanguescere atq; elidi. Quis est enim utilia qui fugiat, aut quis potius, qui ea non studiosissimè vestigando persequatur? Quàm verò necessaria sit herbarum scientia, & utilis ad sanitatem (qua sine nihil salvi est homini) vel præsentem tuendam, vel amissam recuperandam, id nimirum clarius est, quàm de quo multa verba in præsentia facienda

ſint: cum hoc in ſeipſo experiatur unusquisq;, & norint etiam brutæ animantes, a natura facultates multarum plantarum experiendo edoctæ, quarum uſum nobis poſtea monſtrarunt, ut in aliis, ita in hac medendi parte, hominum magiſtræ nequaquã inſcitæ. Non illæ cibi tantum moderatu ſe curant, ſed ex herbis remedia ad ſuam ſalutem & incolumitatem ipſis perquiruntur, quorum gratia natura belluis, præter appetitum, etiam ſenſum dedit, quo ſecernere ſalutaria a peſtiferis poſſent, quemadmodum altero illo, conatum habent ad naturales paſtus capeſſendos. Auditum eſt pantheras, quæ in Barbaria venenata carne capiuntur, remedium quoddam habere herbarum, quo cum eſſent uſæ, non morerentur. Anguis obductam ſitu hyemali membranam corporis fœniculi ſucco exuit, nitidusq; vernat. Viſu obſcurato, dum hybernat in cubilibus aciem reficit confrictu eiusdem herbæ, tenuantis perſcalpentisq; obnatam oculis caligantibus pelliculam. Scilicet hinc intellectum eſt, hominum quoq; caliginem præcipuè ea relevari. Cervus telo venenato confixus dictamno guſtato ejicit, quod in ſecundo de natura Deorum Cicero capris in Creta feris aſſcribit. Cerva ante partum perpurgatur herbula ſeſeli, faciliore ita utens utero: enixa, ſi eodem veſcatur, ad fœtum redit. Teſtudo cunilæ (quam Bubulam vocant) paſtu vires contra ſerpentes refovet, Ciconia Origano,

no, Mustela ruta, cum serpentem glutiit, aut in venatu murium, dimicatione cum iis conserta. Apri edendo ederam in morbis sibi medentur. Vrsus post incubatum diutinum lustro egressus in apricum sylvestris Ari acrimonia alvum constrictam hactenus cit. Invenerunt & canes χολεριῶντες *Canariam, qua fastidium ex infestante cholera deducunt, nauseãq; restringunt. Tantam ingenuit in animantibus conservandi sui natura custodiam, ut sine procuratione hominum salvis esse liceret. Huiusmodi data ab iis spectacula, mirum non est, adeò movisse veteres, ut in dubium vocarent, posset ne* νόησις *sive ratiocinandi vis brutorum generi jure abrogari, cum præter alia innumera, quæ sanè miranda sunt, ex unoquoq; trium Medicinæ generum, particulam magnam quandam & præclaram sibiipsa vendicarent. At dies & charta me deficerent, si, quæ bruta in hoc genere habent* θαυμασιώτατα, *quæq; exercent ipsa propriæ salutis ergo, sine magistro, nulla ratione, nullo consilio, sed naturæ impetu atque instinctu, intenderem oratione sigillatim prosequi, neq; ad hoc nostrum institutum magnopere id pertinet. De mirandis plantarum operibus & effectibus in animantium corporibus, neq; quomodo dicat quis, neq; quomodo taceat, facilè repererit, siquidem tanta naturæ opulentia est, tam magnifica & gloriosa eius quasi ostentatio, ut & electio ex tanto cumulo*

difficilis, & præteritio molesta sit. Quid est enim quæso in plantis inane, aut supervacaneum? Quid? cum Dei encomium participent singulæ & universæ, & sint valdè bonæ, hoc est, εὔζωοι, & ad vitam atq; adeo benè vivendum conferentes. Deus & natura certè non sunt authores inconsulti, neq; temerè moliuntur quicquam, sed aliquò instituunt omnia, & in certos fines intendunt. Herophyli hyperbolen, putantis nihil non herbarum vi effici, etsi non possum non vehementer improbare, ad declinandam vanam superstitionem, & vires magicas, ad quas antiquitas penè attonita fuit: nihil tamen magis confessum est, quàm suas inesse facultates omnibus, etiam vilissimis, & quæ pedibus calcantur, etsi multæ nobis ignotæ sunt, ac meo quidem judicio longè maxima earum pars. Ex herbis alias ad cibum aptas esse, alias mederi corporibus, & ab his profligare morbos omnis generis, dictum est superius. Præter has jam aliæ sunt, prorsus virosam atque venenatam vim adeptæ, quas tamen ipsas ἔνεκα τοῦ καὶ πόσει, & nostri miserta natura instituisse credi possit. Constat experientia venenatas herbas non solum ad Chyrurgiam peti, sed intrò etiam sumtas juvare. Mandragora medici somnum conciliant. Bibitur etiam contra serpentes, & ante sectiones punctionesq;, ne sentiantur. Succus papaveris (quo seipsum vitæ tædio interemisse Liciniũ Cæcinnæ patrem Plinius scribit)

phre-

phreneticis auxilio est, eosq; consopit, & vehementer excruciantes dolores mitigat, defluxiones & incendia sedat, Persarum animos ad bellum accendit. Cicuta, quam Athenis sceleratis hominibus propinare soliti sunt, anus quæpiam ibidem usa est absq; noxa: alii ad extinguendas etiam libidinum flamas. Adeò nulla planta sub sole est, quin sui usum quempiam præstare queat homini. In quo pervestigando olim sese cupidissimè occuparunt Reges & Imperatores non pauci, rati se rei herbariæ colendæ atq; illustrandæ studio præclarissimè de hominibus mereri, neq; minus solidam veramq; laudem inde ad omnem posteritatem nomini libare suo posse, quàm ex triumphis, quibus urbem ditarent. Accipimus eos in pompa inter hostium, bello devictorum, exuvias atq; spolia, inter simulacra oppidorum, inter aurum & argentum, inter vinctos ante currum duces, singulares maximeq; raras plantas, præclaris dotibus præditas, summo cum honore prætulisse. Sed & ita ductos ac delectatos fuisse tam liberali, & homine Principe digno studio constat, ut, si qua subcisiva tempora, sive inter labores belli, sive inter negocia forensia incurrebant, ea perire ipsi minimè paterentur, verum in curam diligentiamq; non conchas & umbilicos ad Caïetam & Lucrinum puerorum more legendi, (quod de gravissimis viris memoriæ est proditum) sed conquirendi stirpes exoticas,

tum in cultum earum, nonnunquam & in topiariam impenderent. Ad hæc nimirum diverticula fatigatos animos, velut indicto ipsis justicio, summi illi viri transferre solebant, nulli parcentes sumtui, nulli impensæ in alendos passim herbarum peritos, quorum industria ad privatum multorum, & publicum omnium emolumentum, noticiam plurimarum plantarum consequerentur. Invenerunt ipsi quoq; suopte studio & opera stirpes, quas appellârunt de suo nomine, immortalitatem beneficio earum sibi promerituri, ut Gentianam Gentius rex Illyrionum, Lysimachus Lysimachiam, Teucer Teucrium. Mithridati Cratevas asscripsit unam Mithridatiam, aliàs scordium dictam. Habet & Eupatorium authoritatem regiam, & complures aliæ, quæ etiamnum a suis inventoribus hæreditarium nomen retinent. Quòd si temporis angustia & frequens consessus theatri nostri paterentur, ab antiquitate ad nostri seculi homines parumper deflecterem, qui hodie Lisibona, Lusitaniæ Emporio celeberrimo, & exoticarum mercium officina, occasum versus navigantes per Oceanum Atlanticum, nova regna sub æquatore, & utroq; sita tropico nobis adaperiunt. Ex quibus sanè multi sunt, qui toti in armis, de Europa nostra benè merendi studio, novas stirpes, & alia naturæ miracula curiosè inquirunt, prorsus Dioscoridis exemplo, quem constat, dum militaret in exercitu Anto-

nii

nii & Cleopatræ, historiam suam plantarum (ita enim quibusdã appellare libet, etsi nec illa quæ filum historiæ postulat, persequitur omnia, neq; tantũ plantas, sed multa alia medico usui deservientia) inter armorũ strepitus condidisse. Nec in hoc campo exultare posset, libereq; vagari hominis diserti oratio. Mihi satis superq; erat, in illum quasi è scena digitum intendere.

Redeo ad studium superioris seculi. In regum & Imperatorum numero fuerunt olim aliqui, non modo in pernoscendis stirpibus satis industrii, sed & monimentorum gloria, quæ ipsi pervulgarunt, admodum clari: inter quos nominare libet Salomonem populi Judaici Regem: cuius de natura omnium stirpium commentarios, pro sapientia, quam acceperat divinitus, omnium priscorum sapientiã atq; etiam Ægyptiorum, (qui tum sapientissimi sunt habiti) longè post se relinquente, haud dubiè quàm accuratissimè scriptos, & in templi Hierosolymitani vestibulo diu asservatos, Ezechias unà cum ἰαμάτων libris sustulit: quòd videret ad istos, tanquam ad numen aliquod, ægrotos confugere, & ex his potius, quàm à Deo petere curationes morborum, adeoq; precum exercitia εἰς ἀκηδίαν convertere. Quem quidem Zelum pietatis fuisse judico, quo animus regis æstuavit indignatione, concepta ex præpostera Judæorum consuetudine, cultui divino ac debitæ ei reverentiæ adversante: etsi is sæpenu-

mero multa patrat, ὃν ἔχοντα ἀπολογισμὸς τῶν πεπραγμένων εὐλόγως, quemadmodum ea, quæ καθήκοντα Stoici appellarunt. Non est autem dubium, tàm mirificæ sapientiæ, posteritati in libris illis commendatæ, abusum etiã fuisse multiplicem, qui aliquot seculis pòst duravit. Meminit Flavii δεξιολογία Eleazari cuiusdam ἐπορκιστοῦ, in exercitu Vespasiani multos, qui a dæmonibus torquerentur, præsente Imperatore curantis tali methodo. Ingerebat Judæus iste naribus obsessi annulum, sub cuius sigillo, inclusa erat species radicis à Salomone indicatæ: quo de naribus iterum educto, simul dæmonium obsessi emunxit, & æger languore in terram concidit. Hic dum ita afflictus, & exanimatus jacebat, interim Eleazarus carminibus Salomonis dæmonem adjuravit, illiq; per sacra edixit, ac vetuit in pristino ergastulo habere postliminium. Ac ut obsessum a maligno spiritu immunem esse ad circumstantes testaretur, ponebat coram obsesso calicem aquæ plenum, dæmoniq; jam exauthorato imperabat, ut egressus ab homine eum subverteret. Istiusmodi igitur profanitatis, & idolatriæ exterminandæ studio, Ezechias libros illos removit, non artis odio, cuius salutarem opem metipse in ulceris curatione pòst sensit. Sunt qui in captivitatibus amissos esse libros illos existiment. Ex quibus omnibus licuerit jam adolescentibus dignitatem scientiæ herbarum metiri, quibus equidem

dem si salus sua, & valetudinis integritas, si corporis affectio atq; habitudo curæ est, uti esse certè debet, omne in ea studium collocandum est. Neq; verò satis fuerit mirari curam diligentiamq; priscorum, qui omnia scrutati, nihil intentatum reliquêre: sed conniti nos animo, ac labore contendere oportet, quemadmodum illorum similes fieri queamus. Ecquid enim est turpius, quàm ignorare, quid rerum Oeconoma natura è sinu terræ, cuius à Deo cultor & incola constitutus es, tanquam e penu expromat in usus hominum publicos? Quid sceleratius, quàm te adeò negligentem esse tui, ut susq; deq; habeas, quemadmodum, & per quæ salva atq; integra præstetur sanitas, aut sicubi vel tua aliqua, vel naturæ injuria labefactata fuerit, recuperetur? quorum sanè abundè nusquam non disponit homini sacra illa parens rerum omnium. Vt interim taceam, quàm ingratus sis in Deum, cuius indagare te tædet passim & ubiq; in tàm ubere plantarum proventu posita atq; impressa vestigia. Verissimè enim ὡς ἐκ τρίποδος canit poëta: præsentemq; Deum quælibet herba refert. Qui verò studio Medicinæ operam dare decreverunt, iis neq; insistere, neq; ingredi sine casu aut prolapsione dabitur, destitutis herbarum cognitione, tam necessaria medico, ὡς ὐχ ὁιόντε εἶναι χωρὶς ταύτης ἰατρεύειν ὀρθῶς, ut inquit Oribasius, siquidem partem Medicinæ potissimam sem-

per

per est complexa. Homeri Scholiastæ ἡ ἀρχαία ἰατρικὴ ἐν βοτάναις ἦν, seu ut Seneca: Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum. Et apud Plutarchum Tryphon pronunciat, Chironem & Cadmum Agenoriden (qui duo primi Medicinam factitasse credebantur) ægros suos sanasse solis herbis & radicibus. Bacchus edera restitit crapulæ, eaq; bacchantes voluit redimiri, velut noxæ minus è vino ita sensuros, restincto secundum Plutarchum ex frigiditate ederæ (quam Theophrastus calidam & siccam dicit) meri ebrietatisq; fervore. Ad quod non contulisse nihil videtur ipsa ratio stringendi ligandiq; capita, qua dolores ex hausto liberalius mero placati sunt, vaporibus vinculo quasi interceptis atq; cohibitis. Ita Antiochus Judæos edera coronatos coëgit πομπεύειν τῷ Διονύσῳ. Cum ab Alexandro sagitta percussus esset apud Homerum Eurypylus, vulnus eius Patroclus ita curavit:

αἷμα κελαινὸν
Νίζ' ὕδατι λιαρῷ. ἐπὶ δὲ ῥίζαν βάλε πικρὴν
Χερσὶ λαβείψας ὀδυνήφατον.

Fuisse autem aristolochiam putant, quam ἴσχαιμον propterea appellarunt. Quos coluber in deserto momorderat, eos ex ære factum, crucique suffixum σύμβολον σωτηρίας sanavit, ὃ βοτάνη authore libri, qui σοφία inscribitur. Vt hinc quoq; manifestum sit, in herbarum vi atque cognitione medicandi rationem olim sitam fuisse.

se. Hæc sola naturæ placuerat esse remedia, ad salutem parata vulgò, & in promtu, atq; inventu facilia, ac sine impendio. Neq; vero mirum est, priscis illis seculis medicinam minus negocii habuisse, firmis adhuc solidisq; corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatemvè corrupto. Corpora maiores nostri opere ac vero labore durabant, aut cursu defatigata, aut venatu, aut tellure versata. Excipiebat eos cibus, qui nisi esurientibus placere non poterat. Itaq; nil opus erat tanta medicorum multitudine, tàm lauta & magnifica remediorum supellectile, tanto officinarum apparatu. Simplex erat ex caussa simplice valetudo. Posteaquam verò voluptatis fines sunt promoti longius, & cibus ad famem non tam tollendam, quàm potius irritandam, ac mille condituræ, quibus palatum & aviditas excitarentur, studiosè ac magnis multisq; artibus toto conquiri orbe cœptæ sunt, neq; potuêre jam amplius parvo redimi hominum desideria, etiam medicina in hanc pervenit varietatem. Ad parata nati sumus, & ille mundi creator generisq; princeps nostri ita nobis jura vivendi descripsit, ut salvi essemus, non delicati. Peccatum primùm nobis attulit, non tantum τὸ ποικίλον τῆς διαίτης, sed ex hac pullulantes etiã morbos omnis generis, supplicia luxuriæ nostræ, à quibus maiores, qui nondũ se deliciis solvissent, sibiq; scirent imperare, prorsus immunes erant. Morbis deinde oppositæ

posita sunt operosæ compositiones, & misturæ inexplicabiles, in quibus partim seplasiarum avaritia, partim ostentatione artis, & portentosa scientiæ venditatione famam novitate aucupante, partim medicorum inconsiderata temeritate, & inscitia Thessalica, ad prodigiosum modum cumulata sunt medicamenta congestu tumultuario, & eorum plurima ascita, quæ non domestica essent, operaq; levi parabilia, sed transmarina & exotica, admodum ambitiosè soliciteq; ad eam rem comparata. Vt enim dissolutus deliciis stomachus non admittebat cotidiana, quæ satu blandirentur nostro, & passim obvia alimenta, sed ab ultimo portanda erant Oceano, quæ saperent fastidienti gulæ: Ita Arabia atq; India in medio æstimatæ sunt, & parvo ulceri medicina inde usq; à rubro mari importata, cum remedia vera cotidiè pauperrimus quisq; cœnaret. Si ex horto petita essent, aut quæsita herba, vel frutex domesticus, jam nulla artium erat futura medicina vilior. Durat isthæc persuasio perniciosa atq; perversa, non solum in maxima vulgi parte, sed unà cum seculis inveteravit etiam in Medicorum animis, prodesse nisi preciosa non posse: ideo aspernantur Vernacula, peregrinis & externi orbis remediis inhiantes, impendione, an fructu maiore, haud scio. Tàm procul descitum est a simplicitate veterum, quæ solis herbis in medicatione contenta fuit. Ex his adhuc

huc hodie non minima, ut dixi, medicinæ pars constat. Quo cupidius in inquisitionem earum incumbere oportet, quicunq; medicinam aliis facere salutariter cupiunt, cum nec Hippocratem piguerit, ut dogmata θεοπρεπῆς ἐπιστήμης, divinæ medendi scientiæ, ita βοτανικὴν παράδοσιν addiscere à Democrito, qui ab Ægyptiis eam acceperat.

Cum autem partes sint mei officii, ut publicè tradã tyrocinia artis medicæ, quæ sunt præter disciplinam ἀνατομικὴν stirpium historia, & reliqua quæ huic arti subjiciuntur: & Dioscorides verò quinq; vel pluribus (ut minutius alii distinguunt) libris plantarum historiam, quemadmodum ὕλην τῆς ἰατρικῆς universam, rotundè complexus sit, in manus eum propediem sumam, idq; Galeni adductus testimonio, qui Dioscoridem ita perfectè confecisse affirmat tractatum de medicamentorum materia, ut eorum, quibus desudatum prius est in hac arena, secundus nulli videretur. Sunt quidem de eadem multa scripta ab antiquis non infeliciter, sed a nemine omnium æquè de omnibus, neq; ea ipsa in unum perinde collecta, ordineq; digesta, neq; sine longis circuitibus: in quorum perplexitate ita se gessit Dioscorides noster, ut vix reperias in eo, quæ reprehendere, quibus censoriæ severitatis notam inurere jure possis. Quæ ab aliis mutuatus est, eorum ipse, quo ad sanè licuit, vel periculum fecit, vel loca nata-

lia

lia invisit, quippe sibi hoc habebat propositum, ut quàm verissima scriberet. Sed enim omnia in locis omnibus neq; nascuntur, neq; translata vivunt: hocq; aliàs fastidio, aliàs contumacia, sæpius imbecillitate eorum, quæ transferuntur, evenit: interdum cœlo invidente, plerunque etiam soli natura repugnante. Idcirco necesse habuit, multa obire loca, multas lustrare orbis partes, ut quæ ante oculos statuenda essent aliorum, ea ipse prius oculis aspiceret, itaq; τελεωτάτην τῆς γνώσεως τῶν ἀπλῶν φαρμάκων πραγματείαν elucubrari posset. Quòd vero ipsi omnibus adesse locis non liceret, ab aliis transscribere multa coactus fuit, quædam etiam percuntatione discere ab iis, quorum fides minimè suspecta esset: in quibus non potuit author optimus non sæpenumero allucinari, cum utrobiq; valdè proclivis sit erroris deceptio. Nec enim quicquam periculosius est, hisce singularibus historiis, si fides ex aliorum pendere indicationibus cogatur. Superflua & ἀπερισκόπτα, id est, ad usum medicum nihil vel parum facientia resecuit, neq; voluit aliorum exemplo evagari longius, sed continere sese intra limites medicinæ, memor veteris illius: ὃ πάντα τῆς πάντων. Ea docendi ratio, quia non excogitata est ad ambitiosam ingenii artisq; ostentationem, sed attemperata potius ad captum intelligentiamq; discentium, facilè optima est, & fructuosissima: in qua ordinem etiam author affectavit non

naturæ,

naturæ, ſed quam ipſa doctrina præſcriberet, ut videatur ſeſe totum tyronibus voluiſſe accommodare. Proinde multum profecturi ſunt, quibus Dioſcorides valdè placuerit, meritò de iſto animo commendandi, ſi perſuaſerint ſibi, illius ductu ad cognitionem materiæ medicamentorum poſſe compendio ſe pervenire. Quòd verò Crateuæ, Dioniſii ac Metrodori more icones & effigies herbarum ab authore non additæ ſunt, id abſterrere neminem debet. Eſt enim profectò pictura fallax, & coloribus tàm numeroſis, præſertim in æmulatione naturæ, multum degenerat transſcribentium ſors varia. Præterea parum eſt, ſingulas earum ætates pingi, cum quadripartitis tempeſtatibus anni (Theophraſtus τῶν ὁρῶν περιόδους appellat) varias ſubinde facies recipiant, alios atq; alios induant vultus, & nunc formam mutent, nunc magnitudinem. Maluit igitur eas ſermone & nominibus tradere, longaq; obſervandi conſuetudine exploratos effectus ſubſcribere.

Etſi autem ad hoc ſtudium invitare debet unumquemq; ſua valetudo, qua inter corporis dotes, mortalium generi Dei conceſſu atq; munere datas, nulla eſt precioſior, id quod olim neſcio quis poëtarum ſenario comprobavit: ὅτι ἐς ὑγείας κρεῖσσον οὐδὲν ἐν βίῳ: tamen facere non potui, quin hac oratione mea juventuti ſcholaſticæ quaſi calcar admoverem, quo ad urgendum curſum ſuum fieret alacrior. Virtus laceſ-

ſita magis proficit, erigiturq; cum tacta eſt, atque impulſa. Ita ingenii vis præceptis monitisq; aliàc creſcere ſolet, non aliter quàm ſcintilla flatu levi adjuta. Multùm ſanè hortatus valet, atq; adeo multum, ut eo equi, & id genus ἄλογα exſtimulentur, nedum homines, quibus tamen etiam incitamentis opus eſt, ad ea præcipuè, quæ inſtrumentis iis comparanda ſunt, in quibus inſit labor atq; contentio. In quorum cenſu & habendæ eruditæ doctrinæ, litterarumq; ſtudia. Equidem horum is mercatus eſt, quem natura eſſe voluit bonorum omnium, non precio, non impenſis divitiis, ſed una redimendorum laboris & aſſiduitatis mercede, ſine qua cuiuscunq; artis & doctrinæ viam fruſtra inſiſtimus. Adeò nihil uſpiam eſt præcipuæ claræq; atq; illuſtris rei, quod facilè & quaſi ſtertentibus obtingere ſoleat. ὁ ἐπιμελείας δοῦλα πάντα, inquit ille, præcipuè verò ars noſtra, quæ non arctiorib. continetur finibus terminisq;, quàm ipſa rerũ univerſitas, ut iſte, cui olim medendi ſcientia, pro ſex menſium disciplina putata eſt, multò fuiſſe dignior videatur, qui in tranſtris navium ad remos ſederet, quàm in ſubſelliis publicè profitentium. Cum autem labores & ſtudia, in quibus evigilant curæ cogitationesq; humanæ, per ſe parùm proficiant, neq; eò deducere nos, quò intendunt, aut ut maximè perducant, minimè tamẽ utilia nobis aut aliis eſſe queant, ſi numinis auxilio deficiantur: Orari

Deum

Deum convenit per Christum salvatorem, precatione pia ac seria, ut docentibus pariter & discentibus adesse velit, & suo utrosq; spiritu gubernare, instruere judicia & voluntates, laboribusq; benignè aspirare, quò suo quisq; loco navemus aliquid, & data pensa studiosè diligenterq; accuremus, hi quidem sua discendo, nos docendo nostra, ac fructus laborum nostrorum tandem demetamus uberes, atque Ecclesiæ imprimis, tùm scholis rebusq; publicis utiles ac salutares.

ORATIO DE
MOSCHO,

Pronunciata in æde arcis, cum decernendi essent summi in arte medica honores tribus optimarũ artium Magistris, viris clarissimis,

ANDREAE SCHATONI Torgensi, Mathematum in Academia Witebergensi professori publico:
GEORGIO MYLIO Annæbergensi:
CASPARO STRVBIO Vitæbergensi.

VI. Calendarum Junii
ANNO
M D LXXIIX.

NIhil est in universa natura rerum omnium, viri amplissimi, dignitate, sapientia, usu rerum, eruditis doctrinis, omni denique virtutum genere præstantes, & auditores cæteri, de quibus in hominum genus, quorum gratia ipsæ sunt conditæ, non expromi possit, præter animi liberam oblectationem, etiam utilitas quædam magna ac præclara. Quo te cunque enim verteris, quacunque fueris ingressus, quorsum aspexeris, exempla aderunt luculenta

lenta & manifesta, plena artis & consilii. At-qui nobis propositum nunc non est, eum callem insistere rerum arduarum, quem hactenus alii præclarè tenuêre: sed ad infimas nos demittemus, quas sacra parens, et rerum omnium princeps, benignitate cultuq; adeò non dedignata est suo, ut in iis non modò magnificè ostentare sese ipsa, sed & vincere voluisse, meritò videri queat. In quibus licet non semper insit ea species, quæ mentem oculósve cuiuspiam possit commovere, immò talis etiam sæpenumero, quam sensus aspernetur, ac summoperè respuat: nihilo tamẽ secius cernere est impressa ipsis naturæ solida vestigia, quæ nos persequentes deducemur eodem, quò ante hac alii, ad cognitionem videlicet δημιουργοῦ σοφοῦτε καὶ φιλοτέχνου, nihil non benignissimè procurantis eorum, quæ usus vitæ communis requirit, & consideratione illorum ad cultum atq; exercitium pietatis exsuscitabimur. Quo modo jam olim ἀπλαίτως φιλοσοφεῖν, & (ut est in libro de oraculorum defectu) ἀπὸ μικρῶν πραγμάτων μέγαλα θηρᾶν posse sibi videbatur erudita antiquitas. His igitur vestigiis dum ipsi quoq; ingredi cupimus, ubi a Mose (quem assecutum esse philosophiæ fastigium Philo perhibet) discesserimus, haud scio, an possit nobis mystagogus magis idoneus adjungi, quàm est Aristoteles, oppidò egregius naturæ speculator venatorq; physicus, & præceptoris sui elogio τῆς ἀληθείας φιλόσοφος appellatus: qui

minutiſſima quæq; perſequitur, & in iis conatur demonſtrare, quàm provida ſit natura ac ceu prodiga utilitatum opportunitatumq; omnium. Ac ut unum duntaxat inde in medium proferatur, prodit is araneolum σοφώτατον & τεχνικώτατον, & in vitæ muneribus ingenioſiſſimum eſſe: qui non (ut Phile ſapientiſſimus autumat, ſecutus ea in re Democritum) ἀπάδας τ̃ ἐγκάτων, hoc eſt, corruptam alvi naturã, ſed lentum ſui corpuſculi ſuccum, lanigeramq; fertilitatem, quaſi fila net manibus pedibusq; quàm moderatiſſimis, textrinamq; inde orditur ſuam, ſtamina deducit, circinato orbe annectit ſubtemina, maculasq; paribus ſemper intervallis, ſed ſubindè creſcentibus ex anguſto dilatans, ac nodo indiſſolubili velut viſco adhibito implicans, ſuum illud quaſi ſcutulatũ rete contexit, atq; ſuſpendit: abrupta protinus reficit, perficit intercepta, & in centro concamerati operis, communis & matronarũ telis, et piſcatorum ſagenis archetypi, venationem ex inopinato obſervando exercet, ex quo quaſi ſuccenturiatus in inſidiis incidentes beſtiolas adoritur, & momento periti aucupis inſtar, ſuis ſtaminibus irretit ac conficit.

Quid eſt verò inter ea quæ ab inciſuris ἔντομα appellantur, contemtius, quid perinde exoſum noſtro generi, atque araneus? Et data tamen ei eſt machinatio quædam atq; ſolertia, ac conſtat nos ab hoc ἀδιδάκτῳ, καὶ ἀπεδεύτῳ doctos

eſſe,

esse, non modo elementa disciplinæ Geometricæ, sed & venandi aucupandiq; rationem, tum etiam texendi sarciendiq; solertiam.

Quid? quòd nec augurandi scientia omnino rudis esse creditur, siquidem incrementi amniũ futuri præsagus ipse, telas suas tollit altius, nubilo texit, sereno feriatus ab opere vacat: ruinis ædium imminentibus, cum telis primus cadit, & aliò migrat. Architectura eius ἐκμαγεῖον quoddam est primæ delineationis animantis in utero, quam natura ut cætera omnia quæ fiunt, quæq; metipsa agit, lenioribus ferè principiis, sed interim tamen acerrimè prætexuit. Quo de alibi a nobis verba facta sunt in publico. Jam verò & hoc cognitum habemus, nec medicinam aranei fructu prorsus orbatam esse. Sanies enim cum rosaceo prodest auribus: vescæ sive telæ impositæ, sanguinem sistunt undecunq; profluentem. Corpus medicina est lusciniis: subactus ipse cum splenio, & linteo illitus, prolatusq; utrisq; temporibus aut fronti, tertianos circuitus persánat. Agite dum ab araneo ad inanima mecum descendite. Ecquid est omnium, quæ in universitate continentur, à quo sensus tantoperè abhorreant, quod fastidiosius refugiant ipsi, quàm stercora & lotia animalium? quibus inest tamen sua dos, sua itẽ gratia. Stercus bubulum, præterquã quòd prærogativa fœcundandi terram insigne est, artuum cruciatus intolerabiles placat, & miseris

ægris dolorum indutias præstat, quibus liceat respirare. Admodum commendatur in colicis stercus lupinum: similiter suilli recens egesti nidor, sanguine impetu effrenatiore e naribus profluente. Nostro, etsi ob fætorẽ abominandum est, ubi resiccatum fuerit, ex melle angina perungi commodissimè traditur, cui frustra periclitatis omnibus sæpenumero præsentaneo fuit remedio. Eandem curant spurcus & luto velut glutine relitus nidus hirundinum, & canum retorrida σκύβαλα, gutturi per fistulam insufflata, si excepta fuerint eo anni tempore, in cuius medio caniculam exoriri contingit, quod a græcis ὥρα κάτ' ἐξαιρετον appellatur. Matresfamilias in infantibus alvum remorantem proritant muscerdis subditis. Lotia impubium puerorum resorpta, recta cervice spirantes juvant: Curant item furfures, & manantia ulcuscula capitis, identidem ei infusa. Sacris ignibus incredibile est quantopere auxilientur eorundem sedimenta. Cumq; urinæ humorum in corpore sint quædam desecta portio, non sine caussa auguria valetudinis ex iis tradi affirmat Plinius. Nam Epatis, renum & vesicæ affectus, præterea vasorum sanguinem continentium, & virtutis humores generantis robur & imbecillitatẽ indicant, cum colore, tum συκάσι, quorũ utrunq; a partibus illis sibi ipsæ quasi delibant. Quib. non contenta ætas superior, verũ (ut est in dialogo περὶ τῶν ἁλικῶν Nicolai Cusani)

paullò

paullò progressa longius, statera insuper urinas quàm potuit accuratissimè probavit, quod persuasum haberet, medicum in conjectura de habitu tàm aliarum quàm prædictarum partium corporis, rectius quàm ex pondere earum, non posse statuere: Cuiusmodi urinarum ad lancem exploratio non ita multis ab hinc annis interpolata est. De qua quidem in præsentia nobis non admodum laborandum, multò verò minus aries admovendus, qui nihil facilè soleamus contemnere, itaq; erga nos benigni simus, ut cuiusdam sæpè inexquisitæ cognitionis voluptati indulgere patiamur animum nostrum, interim penes eos fidem relinquentes, qui eius rei cognitionem adepti sunt studio suo, quiq; de ea statuendi pronunciandiq;, quasi jus quoddam habere putantur. Secundum philosophum enim ἕκας κρίνει καλῶς, ἃ γινώσκει, καὶ ὧν ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής, hoc est, quæ quisq; novit, de iis rectè judicat, eorumq; probus est æstimator. Lacrimæ, quæ sunt humor lotio & sudori germanus, æquè ad alendum incommodus, non tantum cerebrũ exonerant, atq; oculos, unde scaturiunt ipsæ, levant, sed et cordis dolorem eluunt atq; effundunt: unde Nasonis illud: Expletur Lacrimis, egeriturq; dolor. Jam usus tantos et tam necessarios exustæ illius, et nimium inutilis, calorique vitali exitiosæ fuliginis, quã à pulmonib. respirat arteria, quot nominibus mirabere? Nam simul ac hausta pulmonibus natura spirabilis (cui no-

men est aër) munere contemperandi calorem cordis perfuncta fuerit, ne in cassum remigret, admirabili providentia a natura in materiam vocis & orationis, qua nihil est divinius, convertitur. Lingua enim certis vibrata motibus, aërem reductum a pulmonibus, & ex faucium obstantia stipatum, crebriore sui acuminis in palatum illisu, in vocalem spiritum velut animat, eumq; adjuta dentium offensione & labiorum compressione in verba discernit, quæ sunt notæ picturæq; rerum & cogitationum, absq; quibus esset, cùm hominum conjunctio, & naturalis societas inter ipsos dissolveretur, tùm certè hoc, quod sui quisq; habet præstantissimum, nemo unquam assequeretur. Nec enim docere de Deo possemus alter alterum, neque sanctissimum illius nomen compellare, ad cuius cognitionem & celebrationem sumus conditi: neq; adeo multum inter te, & animantes cæteras interesset, quarum genus a nostro non solùm ratio, verumetiam orátio, quæ est λέξις ἐν φωνῇ σημαντικῇ διανοίας, hoc est, interpres mentis, quàm longissimè sejunxit, quo nomine genus illorum etiam ἄλογον nuncupatum est. Multa prætereunda sunt, ne in ipso limine plus habeat injucunditatis oratio, & tamen multa dicuntur, ad effugiendam Academicorum calumniam. Quis minutissima quæq; & abjectissima valeat, non dico complecti orando, sed percensere numerando, quæ ingeniosa natura

tura ludibria sibi, nobis miracula fecit? Adeò nihil uspiam in natura supervacuum, nihil non ab ipsa in publica rerum dispensatione ad usus necessarios comparatum est: & quibus non solùm nihil est, sed ne cogitari quidem quicquã vilius potest, iis carere minimè omnium possumus, idq; ne dissidium existat in mundi partibus, sed omnium consentiens, conspirans, continuata cognatio, qualem esse docet in corpore nostro Apostolus, membris multis ac disparibus, ad civilem quandam atq; popularem communitatem conjunctis, atq; inter se consociatis. Vt nimium injurius videatur, quisquis ille fuit, qui naturam matrem rerum omnium, contra Hippocratem, sustinuit injustam hominum novercam nuncupare, siquidem ipsa, quò maiorem à nobis gratiam iniret, etiam corporum supervacanea insignibus utilitatibus condivit. Cæterũ ne his percensendis prolixiores simus, quàm aut necessitas postulet, aut ferre videatur loci huius opportunitas, ac theatri nostri consessus, jam illud persolvere conabimur, quod scholæ nostræ consuetudini patriæ atq; vernaculæ in huiusmodi testimoniorum publicis renunciationibus debetur. Quoniam verò de dignitate eius disciplinæ, quæ est περὶ τῆς ὕλης τῶν φαρμάκων, anno superiore a nobis dictum est, nunc aliquã tantum particulam ex ea promemus, cuius historiam non injucundam fore auditoribus arbitramur. Ea moschus est, odoramenti genus

præstan-

præstantissimum, quo India hodie claret, posteriorum Græcorum seculo prorsus ignoratus, & inventus primùm Mauritanorum diligentia: quos vel hoc nomine de artis nostræ usu meruisse admodum præclarè, maximeq; indignos esse tàm inimica nonnullorum insectatione, existimandum est. Etsi verò excrementis nihil videtur abjectius, nihil perinde fœdum: (ecquid enim purulenta sanie possit esse fœdius, si præsertim diutius coërcita ea δυσῶδες ἢ acquisierit?) inter odoramenta tamen locum facilè principem hodie Moschus sibi vendicat, & in aulis regum dominatur, pretiosissimæ Ambræ ne hilum quidem cedens. Zibbetho verò longè præstabilior, ita me hercule necessarius, ut, si usura eius medicinam orbaveris, ipsa mutila protinus sit, ac deminuta. De quo cum sit difficile dicere, perinde ut postulat, ibimus qua poterimus, & quidem philosophico magis quàm oratorio pede, inq; eius tractatione carptim degustando ea quæ Mauri tradidêre, ita nos geremus, ne aut clepsydræ obliti, aut vestra facilitate immoderatè abusi esse videamur. Vos interea linguis favete, & aurium operam nobis date benignè & æquis adeste animis. Principio non oportet quenquam hoc errore duci, in quem vulgi opinionibus rapiuntur etiam ex eruditioribus nonnulli, ut musci odorati loco arbitretur Μόχον *recipiendum esse, veteribus Græcis incognitum. Quam quidem erroris de-*

ceptionem

ceptionem peperisse mihi primùm videtur, non modò vocum affinitas, sed officinarum inscitia, & librariorum in exscribendo incuria: quæ labes sunt optimarum artium capitales. Apud Galenum in libris τῶν κατ' τόπους passim odorati musci mentio fit, quæ propriè est arborum villosa lanugo, & planta prorsus parasitica: quippè quæ non domicænio, sed aliena, ut dicitur, quadra victitet: veteribus sive cæli, sive soli benignitate, usq; eò grata odoris sui suavitate, ut inter aromata locum apud Dioscoridem mereatur, & ab Arabibus inseratur cordis medicaminibus nequaquam inutiliter, ad animum iis, quos defecit ipse, recuperandum. Nostrarum arborum muscus ignavus est, vel non ita saltem εὐώδης, ut aromaticus dici queat, neque multi in medicina usus: quo navium textus hodiè ferruminari solet, commissuris earũ interjecto. Inscitia officinarum, qua omnibus seculis sanè perquàm audacter partim motæ sunt litteræ, partim verò mutatæ, aut prorsus inductæ, atq; interlitæ, plurimum damni ars medica fecit: a quarum lima neq; moschus tutus esse potuit, pro quo una littera mutata, extrita altera, muscum ipsos scribere non puduit. Qui quidem error ut aliquando detegatur, & juventuti eripiatur, sciendum est musci nomine venire canos arborum villos, qui de succo è fatiscentibus corticibus promanante, κατ' ἔνταση pilorum more enascuntur: Moschum verò secun-

ſecundum Arabum & poſteriorum Græcorum deſcriptionem, ſaniem eſſe animalis cuiusdam peregrini, unico armati cornu, caninis dentibus oblongis, & verriũ more ex inferiore mandibula exertis, prægrandi corpore, cætera capreæ ſimilis, erumpentem ex umbilici vomica quibusdã temporum circuitibus, propemodũ ut menſtrua mulierum. At .n. hoc vero admodum ſimile eſt, lutoſum feculentumq; ſanguinẽ, quo animal iſtud abundat, ſimili modo ad umbilicũ decumbere, quo ad uterum in fœminis menſes, ſive ſuopte incitatum impetu, ſive a natura eo depulſum, novaq; ſubinde alluvie coacervari, ac tandem exhauriri, licet neq; emiſſario peculiari, neq; ita crebrò, neq; tam rata atq; ſtata periodo. Vna eademq; haud dubiè utrobiq; vis eſt, ciens atq; impellens humores illos, idq; ordine quodam, certaq; regula, & κατ' περίοδος: ſed quærenda ne ſit ea, in naturæ conſuetudine, quæ (ut eſt χρῆμα τεταγμένον) certis ac definitis analogiis, atq; periodis omnia exequitur, an in lunæ ſyderumq; ſempiternos & immutabiles referenda curſus ambitúsve, an verò ſtatuenda in occulta & peculiari humorum proprietate, aut in eorundem κράσει, συρροίᾳ, copia ſive proventu, vel in ea etiam qualitate, quam humor ex diutina mora aſciſcit: præterea utrum in peregrino animali victus ratio, & furor quo ad venerem ſtimulatur, momenti eam ad rem quicquam afferat, de iis verò δογματικῶς ſtatuere ali-

ere aliquid neque dum licet, cum eruditissimos quosq; constet ἐπέχειν. Hoc indubitatum est, istum naturæ motum esse criticum, quæ nimium aggravata, dum ab onere se relevare cupit, aliquam sanguinis partem ad umbilicum eructat, qui assiduo dein affluxu adauctus, præcipuè furoris vehementia ac pruritu, quo ad libidinem fera incitatur, intra umbilici extimam cutim sibi spacium ac sinum molitur, hoc est, protuberantem utriculum in abscedente corio parat, in quo humor sensim eò usq; exaggeratur, dum prægnantior vomica copiam superfluentis, vix queat amplius sustinere. Huc ergò relegatus sanguis, quoniã extra propria organa positus est, & jam in territorio constitutus caloris alieni, tum regimine sui caloris magna ex parte destitutus, necessariò a statu pristinæ integritatis desciscit, & inflamatur, fomitemq; concipit putredinis, neq; prorsus tamen corrumpitur. Non posset autem sanguis a corruptela sese vindicare, nisi eo ipso tempore, quo extra vasa primùm labi cœpit, secum tanquam ad viaticum eripuisset aliquid eius caloris, cuius ipse prius vehiculum fuerat: ob cuius demensum, quantulumcunq; sanè id est, pro derelicto mimimè habetur. Namq; adjuta ab illo natura sanguini incumbit, ac suo more optimum quid molitur: sed quod intendit ipsa, non assequitur, quoniam in materia versatur neq; omnino benigna, neq; etiam prorsus aliena, verunta-

runtamen de se ipsa non desperat protinus, neq; victas calori putrido manus porrigit: sed ita partes suas, & quasi pristinam personam tuetur, sustinetq;, ut materiæ ornatum neq; sibi molestum, neq; à vitiati sanguinis conditione prorsus remotum induat, hoc est, pus inde conficiat, quod est quiddam μεταξὺ inter putredinem, & alendi corporis substantiam: Cuiusmodi naturæ μεταβολὴ nunc ἡμιμόχθηρος, nunc ἐπίμικτος appellatur a Galeno, neq; ἁπλῶς χρηστὴ, neq; ἁπλῶς μοχθηρά. Interea dum inflamatio in abscessum mutatur, dolor affligit vehementius. Nam quantum de humore putruit, partem continenter vellicat, calore inflamat & perurit, multitudine distendit, unitatemque eius solvit. Quo tempore pabulo & potu ferum animal sese abstinet. Pure maturitatem tempestivam jam adepto, pruritus oboritur, & ob lancinatum titillantis humoris scalpendi desiderium, præsertim circa abscessus caput, ubi eruptionem minatur. Proinde aut humi crebrò volvitur bestia, ac tali corporis sui versatione utriculum ad terram affligit, turgidumq;, & concreta sanie refertum exprimit: aut scabris arborum truncis rupibusq; asperioribus sese magna cum oblectatione tantisper affricat, dum gliscentem pelliculam extenuet & perrumpat, atq; apostema infringat. Inde facto vomicæ emissario tota saniei vis profunditur, relicto ulcere, quod cicatri-

cem

cem ducit, ut ſanguinem denuò eò procubitu-rum poſſit deinceps recipere. Hæc eſt illa tam pretioſa colluvies Moſchus appellata, quæ non ſtatim ut excluſa eſt, redolere ſolet, ſed ubi aëris ſolísve tepore fota, uberioreq; ſpoliata humiditate nonnihil exaruerit: Neq; ita longo pòſt intervallo odorem adeo vibrantem acquirit, ut latè ſeſe fundat, & finitima loca ſua fragrantia repleat. Solet autem Moſchus ab indigenis odore eius invitatis, ſereno & arridente cælo, non nebuloſo aut roſcido aëre per ſaxa arborumq; truncos meti, & in utriculis Moſchum ferentium animalium, quæ venatu capta ſunt, accuratè recondi. Quæ quidem eſt vindemiæ illius opportunè inſtituendæ ratio, minimè fruſtrans lectorem. Quod ſi incolarum avaritia ante juſtum tempus maturitatis folliculus umbilici captis animalibus filo aſtrictus atq; exciſus fuerit, ſpes vindemiæ cadit, & meſſoris eluditur exſpectatio. Nam ſanies, niſi in corpore dum eſt, probè permaturuerit, καθαρίζει πσῶς τῇ ὀσμῇ, tetroq; & inſuavi odore displicet, ferè eius uliginis more, quam cor ad alas in noſtris corporibus ſolet emungere: quam ἀφ' τὸ ωδὶ τὴν ὀσμὴν βρομῶδες, hoc eſt, ob quandam ſimilitudinem putoris, hircum alarũ appellant. Par eſt utrobiq; fœtoris ratio. Ita fœtet craſſum illud & pingue ſtrigmentũ Zibbethi, cum primùm cochleari extergitur. Neq; τὸ ὀπῶδες Ledi multo olet ſuaviùs, quod recens è Creta

 affertur

affertur aut è Cypro. Et tradit Plinius decimo-septimo duodecimi sinceri ladani odorem oportere esse ferum, & quodammodo solitudinem redolentem. Ante enim quàm è barbis & villosis genibus caprarum hircorúmve, quibus inhæret obiter, post frondem Ledi derosam pastibus matutinis, & dum Cyprus rorulenta est, depectitur, qualicunq; mora illa inamabile inde virus contrahit, quale propemodum est Oesypi. Quo argumento nonnulli Ladanum, hircorum Oesypum indigitarunt. Posteaquàm verò non tam coquendi excolandiq; diligentia, quàm diuturnitate & vetustate virus deposuerit, odore jucundo gratum est. Proinde mirum alicui videri non debet gravitatem præcocis moschi, adeò medicis imposuisse, ut maxima eorum pars moschum pro Castorio perdiu & habuerit, & loco eius usurparit, non sine ingenti fœminarum, in primis uterum ferentium, aut jam partus enixarum suos, discrimine. Cuius certè periculosi erroris videas etiamnum apud nonnullos authores exstare vestigia. Qui Vartomani scriptum Italicum ad usum cæteræ Europæ latinum fecit, compluribus in locis castorium reposuit, ubi ille Moschum posuerat. Quò maiore accuratione & studio attentiore opus est, in talium scriptis versantibus, ne quod vulgo dici assolet, quid pro quo accipiant, & mulierem, cuius saluti consultum cupiunt, pariter cum morbo de medio tollant. Quod junio-

rum

rum caussa a me hoc in loco pluribus dictum oportebat. Fuit autem error iste, qui multos dedit præcipites, admodum proclivis. Nam Castorium æquè ac Moschus suo inclusum folliculo ad nos exportatur, liquore intus veluti ceroso ac friabili, non modò substantia, sed & colore, quem habet, μελιτώδες Moscho similimo, hoc est, citrino, à quo Avicennas etiam Moschum commendat, etsi qui ad nos hodiè affertur, ferè subnigro est atq; ferrugineo. Quòd si jam etiam fœtor aut gravitas ob immaturitatem accesserit, quis tam emunctæ naris fuerit, ut odorando quàm sagacissimè alterum ab altero norit exactè secernere. Hanc nimirum ob caussam annis superioribus cœpit moschus admodum vilescere, & longo tempore minimi putari, donec venatorum industria ei vitio occursum esset. Ne quid enim isti turpibus suis paterentur obstare compendiis, cum facilè animadverterent, naturæ genium intempestiva avaritia defraudatum, votis suis respondere non posse, id quod concoctioni & maturitati ultimæ moschi detractum esset, solis calore compensare voluêre. Quapropter immaturus Moschus liberiore aëre tam diu ab ipsis suspensus est, quoad blandiente cæli serenitate fotus, atq; abunde perpurgatus, solis item ardoribus percoctus exquisitius, exhalaret atque exueret, quicquid habebat ὑπερτέλιζον καὶ βρομῶδες. Videtur profectò in natura nihil esse prodigio similius,

quàm ex vomicá capreæ preciosissimum odoris genus promi, cum in reliquis animantibus abscessus, præcipuè in locis erumpentes humentibus, genitalibusq; ac corporis sentinæ proximis, non nisi grave quippiam, ac fœtens eructent, idq; propter putridum calorem, in eodem subjecto insidentem, qui cum ingenitus non modo manum conserit atq; confligit, verum (ut Galenus loquitur) eidem etiam permiscetur. At vero in hoc conflictu superiorem esse calorem insitum cùm alia testatum faciunt, tum verò atq; adeò inprimis odor multò præstantissimus, victoriæ illius quoddam quasi trophæum in purulenta sanie de calore putrido constitutum ac simul documentum maximum coctionis, cuius pus est particeps. Nam rectè philosopho asseritur in problematibus odorem calore effici, & concocta odores præstare suaviores: incocta contrà fœtida esse: Et est Galeno ἡ ὑπερβάλλουσα δυσωδία, σήψεως, οὐ πέψεως σημεῖον: ut & Theophrasto libro περὶ ἱδρώτων, ἡ κακωδία σῆψίς ἐς. An simile quid legatur uspiam haud scio, nisi fortè de Cato Zibbethico, quem d. Hieronymus 2. lib. adversus Jovinianum, & in epistola ad principiam virginem, peregrinum murem nominat, dissolutis & amatoribus convenientem, cuius non semen, (uti quidam inepte existimant) non humor exactus è loculis genitalibus, sed illuvies sudorulenta, & strigmentum, odoris est (penè dixerim) immensi.

Quan-

Quantum verò inter hoc & Moschum intersit, facilè constare cuiq; potest, dummodo narium judicium consuluerit. Super Ambra inter Medicos controversia est, aliis aliud statuentibus, neq; dum hodiè liquet, cuius ea sit generis, φολυνος ne an ζωλινος, aut alius etiam: num maris spuma, aut ex alveo eius, & quibusdam fontibus scaturiens bitumen, nativum ne, an arte factũ, utrum semen balenæ, aut caphuræ quoddam genus, aut deniq; pinguis terræ mador. Quicquid vero sit, ei similiter non minus rara odoris inest gratia, ut & orientali succino. Affirmat in problematis Alexander, etiam τ̃ δορκῶν κόπρον δρωματίζειν. Idem nos fortasse de stercoribus Martium sive mustelarum, peregrino muri non dissimilium, pronunciare possumus, quæ pueri instrue saxorum, & ruderibus præcipuè vetustorum atque collapsorum murorum studiosè legere ac venari, tum etiam resiccare, vestiumq; scriniis interponere ad commendandum halitum solent. Sed quid hæc, ad Moschi odorem si relata fuerint? De odoris gratia, quam in regionibus vicinis mari mediterraneo, & magno solis ardore perustis, collecta Ilicum grana spirant, coloratis fœta vermiculis, nihil habeo affirmare in præsentia. Tradunt αὐτόπται sive testes oculati, vermiculos eo saturos cruore, qui olim paludamentis dicatus fuit imperatorum, dum in granis suis asportantur a mercatoribus, primùm torpescere, velut vitæ

expertes, mox aprico expositos in linteamine vi vitali rursus animari. Ne autem rediviva libato colore suo protinus diffugiant, ab industrio custode, ad eam rem præfecto coërceri, assiduoq; verbere atq; concussu linteorum tantisper exerceri fatigariq;, dum emoriantur. Toto illo triduo, quo hæc peraguntur, loca illa longè lateq; spirare fragrantiam, quæ ambræ nihil quicquam concedat. Nequeo satis mirari, caussam odoris in Moscho, audere plerosq; soli acceptam ferre pabulo. Qui cum inaudivissent, aut metipsi etiam vidissent hoc genus caprearum Moschum gignentium, in Chinarum tractu, (quæ regio est orientalis Indiæ) nardum & id genus alias odoratissimas plantas depasci, succum inde gigni arbitrati sunt eadem imbutum qualitate, & odoris gratia nutrimento suo respondentem. Ita Onyx in lacubus ναρδοφόροις, hoc est, secus quos nardum nascitur, (ita enim Serapio interpretatur, & verè quidem, cum nardum & in montibus, & ad horum radices, quas flumen alluit, proveniat) traditur odoratus esse, quòd istud ostrei genus nardo saginetur. Plinius, & qui eum sequitur Barbarus, affirmat crocodileam, hoc est, intestina crocodili, non illius, cui vita in aqua & terra communis, sed terrestris, ob id diligenter exquiri, quòd jucundissimo nidore farcta sint & fragrent: vivere autem odoratissimis animal id floribus. Atqui valdè dubito, possit ne

hæc

hæc ratio percurioso indagatori facere satis, cum de aliis animantibus, eodem victitantibus pastu, haudquaquam compertum sit, idem usu venire. Quin hoc statui posse videtur multò probabilius, talem esse feræ illius ἰδιοσυγκρασίαν sive naturam, quæ perinde nequeat pervestigari, atque illa in Alexandro Magno, cui per os & cutim jucundus adeò exspirasse halitus narratur, ut odorata aromatis in modum fragrantia indusium & interulæ satiarentur. Quod Plutarchus in gestis ipsius, & sexto primi συμποσιακῶν, ad κρᾶσιν τοῦ σώματος πολύθερμον καὶ πυρώδη, hoc est, ad fervidum & igneum corporis temperamentum revocat, argumento; quòd terrarum tractus aridissimi & ferventissimi optimas species producant. Quamvis autem negari non possit, calorem sive insitum, sive τὸ ἔξωθεν, multum ad odoris suavitatem momenti afferre, qui ut in aliis, ita hîc etiam τὸ κινοῦν est & δημιουργοῦν, cuius ope siccitatem terream per humidum aëreum sapidumq; deductam, ac quasi percolatam, excoqui & superfluitatem, quæ περιττὸν & ὕλη est, digeri atque exhauriri oportet: ut minimè inscitè dixisse videantur Aristoteles, & qui divinitate loquendi nomen invenit, discipulus eius Theophrastus, gigni odoris suavitatem concoctis à calore humoribus.

Hæc ergo etsi ita se habere ratum est atq; te-

ſtatum, in uno tamen calore non ponenda ſunt omnia, ſed arceßi plura debent, atq; interim nequaquam negligi τὸ πρῶτον & δεχὴ, & ſua cuiusq; rei φύσις ωθυπάρχουσα, quæ nobis incompertа eſt, ut maximè κράσεως nomine fere deſignetur. Ac ut de odore corporis Alexandrini, in quem incidimus, paullò plura dicamus, cum huc pertinere videatur, fuit Alexander temperamento paullò calidiore, inde usq; à pueris exſtimulante, & accēdente ipſum ad cupiditatem gloriæ, quam in eo ferunt ſolidiores celſioresq; quàm pro ætate, ſpiritus habuiſſe. Fuit item gulæ atq; obſonii adeo temperans, ut ad Adan matrem adoptivam, quæ cocos & piſtores ipſi miſerat, quos putabat intelligentißimos, ingenuè aliquandò profiteretur, meliores habere ſe à pædagogo donatos Leonida ad prandium iter antelucanum, & ad cœnam anguſtum prandium. Adhæc ſilentio non prætereunda eſt eximia eius continentia, qua facientes verba de decore uxoris Darii, ne audire quidem, nedum aſpectū ipſius ſuſtinuit. Hæc omnia præſertim ſi cæli aëris q; benignioris ſuffragium adepta fuerint, profectò ad odoratam ἀποπνοὴν ἢ ἀπόῤῥοιαν aliquid atq; adeò multum faciunt. Sed per ſe tamen ſola præſtare eam minimè queunt, absq; ἰδιοκρασίᾳ, quam velut colophonem etiam in Moſchum ferente Caprea Indica adjungi neceſſario oportet cauſsis reliquis: nempè temperamento, quo ipſa prædita eſt calidiſ-

lidißimo: victus, quo utitur, ſimplicitati, ſiccitati & odoribus: tùm loci etiam, in quo verſatur, & cæli, ſub quo degit, clementiæ.

Plura de Moſchi fragrantia a me quidem dici non poſſunt, qui ſic perſuaſum habeam, odorem à priſcis non ideò tantum rem divinam appellatum eſſe, quòd τὸ θεόπνοον ἐν ἡμῖν, *mentem videlicet, ad agendum exſuſcitaret, quòd veteres profiterentur ſuffitibus naturam aëris locorumq; aptam reddi, ad excipienda numina, quibus cum commercia habenda eſſent hominibus, ut Platonici ſuo more ex Ægyptiorum Chaldæorumq; ſuperſtitionibus, nugati ſunt: ſed multo magis, quòd exiſtimaretur ineſſe ei aliquid divinius, & ab humani ingenii acumine ac perſpicacitate longius remotum. Pergendum nunc porrò ad reliqua. Perhibetur is Moſchus eſſe optimus, qui a natura, hoc eſt, a* δυνάμει πεπτικῇ *in germano ſuo folliculo, dum hæret corpore, probè primùm maturatus, poſt ubi è vomica exciderit, ab externo aëre ventilatus ac perpurgatus, deniq; calore & ardoribus ſolis exactißimè percoctus eſt: qui neq; citò ſolvitur, neq; multum reſiſtit: qui ſapore eſt ſubamaro, & odore ſuo aromatico acutißimus & fragrantißimus: cuius gratia non ſolum veſtium ſuffimentis expetitur, ut alarum, narium animæq; ac ſudoris tædia, halituumq; inſuavium, quos corpora exſpirant, grave virus aboleat: verum ammiſcetur etiam medica-*

mentis, ut ea odoris ſui jucunditate multò conditiora reddat. Cuſtoditur optimè in vaſe plumbeo aut vitreo cum cera oblito. Quòd ſi fortè odoris gratiam perdiderit, aut ipſa vetuſtate velut tabeſcens exoleverit, vitreo vaſe aperto ſuspenſum in cloaca poſtliminio recuperare tradit Platearius, ſed cauſam eius rei non aſſignat. Sinceritatem & excellentiam ita vel deprehendere, vel probare Perſas proditur, ſi odorantibus ſanguinem è naribus eliciat, cuius rei periculum facere jejunos oportet. Sed tam rara tamq; acuta ſubtilitate, oſcula venarum in cavitatem narium debiſcentium reſerante, qui ad nos importatur, moſchus non eſt præditus: quippè qui credatur, non tam ſanguis eſſe in tumorem ſub ventre collectus, quàm cruor potius, ſuctu hirudinum, poſt folliculi avulſionem admotarum, cum ipſa feræ vita detractus exiccatusq; : neq; merus aut ſincerus, ſed perpauxilla quantitate efficaciſſimi illius conditus ac ceu perfectus. Sufficere cenſent ad reliqui cruoris in corpore illius beſtiæ condimentum centeſimam optimi ac genuini moſchi portiunculam. Tanta eſt virium efficacitas, tantum odoris acumen. Vim habet calefaciendi, & exiccandi abſceſſu tertio, impensè tenuium partium. Odoris prærogativa ſpiritus inſtaurat, languidas & perfrigeratas partes focillat, firmat cor tremulum, cerebrum roborat, & diuturnum eius dolorem mulcet, dummodo de pituita

tuitæ redundantia provenerit. Inferre tamen etiam dolorem capitis, ut aromata cætera, tum usus probat, tum insinuat rationis examen, siquidem excalfaciendi potestate prædita omnia caput pertentant, aggravantq;, quippè nutu suo calor superna appetit. Adhæc revocat quos animus liquerit, & vires penè resolutas atque exhaustas sarcit, recolligentibus sese propterea admodum salutaris, nisi quòd pallore membra utentium decolorat. Cum enim sanguinem adurat, uberiorem bilis in corpore proventum facit, à qua ipsum postea lurido colore inficitur. Hac de caussa biliosis & magnanimis, qui corde calent, Moschus minus convenit. Flatuosa sua humiditate creditur πρὸς τὰ ἀφροδίσια παρορμᾶν. Nam cum seminis substantia ex utili superfluitate γένεσιν adepta suam spiritus plèna sit, quæcunq; ipsum aut procreare aut provocare apta sunt, flatuosa sint necesse est, καὶ τ ὑγρότητος φυσώδες participia. Qua cum destituantur ruta & vitex, ut maximè temperamento sint Moscho quàm similima, tamen ne esse quidem semen, fierivè patiuntur, cuius merito inter τὰ σβεστικὰ, quemadmodum Moschus contrà in censu τ γονητικῶν τ σπέρματος reponuntur. Præterea inest Moscho facultas alia quædam, ut videtur, mirifica, qua solet multis solo nidore vel halitu naribus rapto, morbum conciliare sonticum, mulierum ex utero laborantium alias suffocare, quibusdam uterum de sede di-

movere

movere sua, sursumque deorsumq; revellere. Hanc quicunq; foris, & quasi per transennam strictim usq; adhuc considerarunt, confestim ad proprietatem retulêre, a tota specie, tanquam ab intimo principio, defluentem. Quanquam autem palàm est, substantiæ proprietatem multis omni tempore fuisse asylum & κρησφύγετον suæ seu imperitiæ, seu desidiæ, progressusq; eorum in rerum indagine summoperè retardasse: nobis tamen eliminare extra artem nostrã, & è medio profligare eam religio est. Quæ enim esset invidia, medicamentorum temperamento, & materiæ vi illius perfusæ atq; instructæ, ἐνέργειαν & vim agendi impertire, formæ autem, quæ utriq; longe antecellit, eandem abnegare? Quare cum tota antiquitate libenter, omniq; asseveratione affirmamus, multum atque adeò multum esse in rerum natura mirificorum operum atq; effectionum, quarum caussæ planè & perspicuè demonstrari humanæ sagacitatis acumine nequeant, id quod Alexandrei multi & frustra conati sunt, & temerè instituerunt. Omninò latent illæ temperatos animos, illudunt curiosis: quibus ex eiusmodi labore investigandi hoc solùm percipitur commodi, quòd suam ipsorum hebetudinem persentiunt meliùs, quoq; pertinaciore studio eidem incubuerint, hoc minus reperiunt, quo sibi saltem, nedum aliis possint satisfacere. Pauca exclamat Syracides ex operibus Dei videmus, πολλὰ

ἀπόκρυ-

ἀποκρυφὰ ἐστὶ μείζονα. Neque diffitetur Plinius naturæ vim & maiestatem singulis pene momentis fide carere, & nisi ea ipsa humanam fidem superantia à nullis cernerentur, nullo modo credi. Voluit natura limites statuere humanæ intelligentiæ, extra quos non liceret aciei ipsius progredi, ac vires quasdam sibi reservare, & in secretiore sinu suo accuratè tueri, neq; ullo cuiusquam notari sensu, sed una experientia observandiq; consuetudine. Proinde non fuerant usq; adeò deridendi in scholis duo isti responsatores, quorum unus interroganti cuipiam, quo pacto existeret nix? dixit, quia Deus sic voluit: Alter sciscitanti, cur duobus contueretur oculis, & non altero tantum, cum idem uno posset assequi, subjecit: Rerum Naturam duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere voluisse. Neque incusandus Strabo fuit, dum de aqua lacus Sirbonis vel Asphaltitis potius, Galeno Sodomæi dicti (perperam enim Sirbonidem paludem, quam Ægypti torrentem sacra pagina appellat, cum mari mortuo confundit Strabo, cæteroqui geographus diligentissimus) pondera sustinente impacta, pronunciat esse talem quandam φύσιν τοῦ ὕδατος, ut nec tenus umbilico in eam ingressos urinare mergivè, nec injecta onera pessum ire sinat, non multò secus ac hydrargyrus metallorum (aurum solum excipias) corpora solidissima. Verum ante Strabonem Aristoteles, (quo nemo

naturæ

naturæ consultior, neque caussarum melior interpres) τὸ εὔλογον huius rei reperit, & hoc pacto etiam τὸ θαυμάσιον è medio sustulit, caussam conjiciens in molem sive gravitatem illius aquæ, quæ ob salis ammistionē instar habeat luti, ideoq; leviora atq; incremento spirituq; prædita gestet: quod de Vespasiani experimento constare Josephus asseverat. Nostro judicio videtur ipsa partium aquæ cohæsio aptior esse ad sustinendum, quàm crassitudo, cotidianis argumentis id comprobantibus.

De Moschi nidore ut efficiantur, aut omninò effici possint ista tam mirifica in quorundam corporibus, etsi difficile est prosequi: tamen si dicendum est liberè, quod sentimus, videtur morbus sonticus sive Epilepsia de Moschi nidore, ut primùm nares perculerit, manifestè gigni posse in iis, qui sunt θερμότεροι φύσει καὶ χολωδέστεροι: quibus cerebrum est languidius, ac textu rariore, ideoq; sensus acumine præditum, & in hoc malum natura proclive. Solet enim Epilepsia sæpenumero (contrà, quàm creditum est veteribus) fieri etiam ἄνευ ὕλης, hoc est, sine materia, saltem tanta, quanta satis sit pariendæ obstructioni, idq; adeò de dissectionibus observatione quorundam constat, quorum fides in dubium venire nobis non debet. Quæcunq; autem illius caussa fuerit, sive pituita tenuior ac spumosa, sive bilis flava aut atra extenuata, aut harum ichor, sive editus de his

acris

acris atque retorridus halitus, ea in cerebrum sublata, non aliter id percellit quàm venenata ac substantiæ eius infensa atq; inimica qualitas. Hac injuria lacessitum cerebrum, vicissim insurgit atque contrahitur, colluctaturq; cum re sibi infesta, quam annixu omnium virium gestit abs se quàm longissimè propulsare. Dumq; in hoc totum est, vi animali interea partes destituit, non quòd iter ad illas interclusum sit, aut via præpedita atque obstructa, sed quia sibi soli vacat cerebrum, vim omnem impendit atq; insumit in seipso liberando expediundoq;, omnino securum, quid fiat interim de membrorum republica. Quæ cum ita sint, consentaneum est etiam Moschi nidorem, utprimùm acceptus naribus, & per ossis coli foramina, nerviformesq; processus pertinentes in priores ventriculos cerebri, trajectus sese exerverit, quicquid inibi offendet, vel tenuioris vaporis, vel humoris paullò sequacioris, si non adaugere, saltem incitare posse, atq; impellere, cerebrumq; ad dimicationem lacessere, de qua Epilepsia existit.

De utero, qui miseris mulieribus negocii facessere, & medicis laboris exhibere plurimum solet, primum hoc tenendum, non ζῶον quidem esse illum, quo nomine Plato ipsum signat: at motu tamen juxta ac sensu præditum, quo jucunda vestigando assectari, contrà infensa sibi

bi aversari & refugere, non etiam nunquam proprio loco decedere queat, nunc ἄνω, nunc κάτω, aliàs ἑκατέρωσε, qui est motus eius κῆ πλάγιον, & laterorsum, ut cæteri illi ἀνάῤῥοπος & κατάῤῥοπος. Ideo Aretæus πλάγχνον ἄγχισα ζωῶδες nuncupavit. Quibus ergò mulieribus uteri habenæ (quæ sunt ὑμενώδες σώδεσμοι, alis vespertilionum similes, à peritonæo propagati, & ad uterum suspendendum sacroq; ossi affirmandũ idonei) laxatæ fuerint, atque dissolutæ, his quoties irritatur uterus suus, errare potest, libereque ac licenter vagari, & moschi qualitati quoquo versum obsequi, quibuscunq; sanè cuniculis itineribusvè ea spiritu ducta in uterum sese insinuarit. Verumenimvero hic enormis & errabundus motus uteri propriè πνῖξ non est, licet Plinius vulvæ conversionem appellare ausit, neque inde tantum periculi mulieribus impendet. Quòd si nequierit moschi nidor ob ligamentorum firmitatem uterum impellere, neque tamen in aditu ad ipsum vis illius elanguerit, de materia sive per se maligna, sive diutius coërcita, quam in utero, aut circa hunc offendet, vaporem calore suo sustollere, mulieremq; suffocare potest. Effertur autem è foco suo vapor aliàs per apertas venas & arterias, aliàs κῆ τὸ σωεχὲς partium, & per occulta ac latentia spiracula: per quæ dum ipse sese trajicit, ac sensim pedetentimq; progrediendo aditum sibi ad cerebrum molitur, in via dum est,

præcor-

præcordiis allisus, respirationem suspendit: mox adactus cordi opprimit illud, protritis conculcatisq; vitali calore atq; spiritu inde scaturientibus: sublatus paullò altius fauces non secus præstringit, quàm si aut vinculo interceptæ, aut quasi manu prehensæ essent lisæ gutturis, unde mulier sine motu, sine sensu, velut elisa atque extincta jacet, pulsu adeò obscuro, ut ne quidem percipere eum tibi interdum liceat. Tandem in cerebri sedem evolante halitu caput affici contingit.

In procreanda Epilepsia evidens moschi qualitas sufficit: at in uteri strangulatu partes in agendo nonnullæ permittendæ sunt etiam qualitati occultæ, seu moschi, seu halitus à moscho de materia maligna ac virosa proruti atq; provocati, quæ fert alteri suppetias: Vt ex analogia adeò & conjuratione utriusq;, illa postea tam atrocia, tamq; immania symptomata in miseris mulieribus existere videantur. Quòd verò idem non accidit mulieribus pariter omnibus, id caussæ esse reor, quòd non æquè omnes sunt ἀπιτήδεοι *: tum magna etiam est & propè infinita* τῶν κράσεων ἀνωμαλία, *propter quã hoc etiam fieri consentaneum est, ut alius alio impensius hoc appetat, indeque voluptatem quandam, & jucunditatis sensum percipiat: contrà istud naturali odio aspernetur: multi Moscho aut Zibbetho capiantur, plurimi vero oderint Zibbethi odoris pingue illud atque (ut*

ſic dicam) ſaturum, eoque perceptо vel animo protinus deficiant, aut irritentur ad vomitum, aut capite urgeantur : ut quod ἐυῶδες *aut* δυσῶδες *verè dicas, vix ac ne vix quidem habeas, idq; pro odorantium reſpectu, & affectione dispari, quæ jam iterum* ἡ κατὰ κρᾶσιν φύσις *eſt, id eſt, privata cuiusque temperatura. Ita in his quoque ad* ἰδιοσυγκρασίαν *perveniri tandem neceſſum eſt, quam aſſequi conjectatione, vel perfectum medicum exactiùs, rentur* ἀδύνατον *: quo nomine Galenus inquit, veram medendi ſcientiam Æſculapio attribuunt ac Apollini. Et hæc quidem de Moſcho à nobis breviter ſummatimq; eò decurſa ſunt, ut noſtrorum hominum ſtudia ad maiorem contentionem excitaremus, & in eandem cauſſam nobiscum quàm plurimi incumberent. Nobis abundè videbatur, præſtare, quæ poſſemus, & aliis qui plus poſſent, ut experiri aliquando vellent, exemplo noſtro, præire. Quæ cuiusmodi ſint, licet arbitri pronuncient, quorum judicium de his, ut de noſtris omnibus, facilè ferre poſſumus.*

Nunc amplius nihil reſtare videtur, quàm ad eas ut accedamus victimas, quibus ſibi Deus à fidelibus litari vult, & ſacrificia pro ſalute publica faciamus ipſi grata & accepta. Supplicibus ergo verbis & veris gemitibus compellamus atque oramus te Fili Dei, κύριε καὶ σῶτερ ἡμῶν *Jeſu Chriſte, cum Patre & Spiritu ſancto*

unum,

unum, verum, solum, æternum, justum, & clementissimũ Deum, ut in his postremis ævi jam fermè præcipitantis temporibus, quib. maximè viget humana pervicacia, & totius orbis imperia multoties collisa atq; concussa in proclive labi, ac mundus ipse ad occasum devexus, circũacta propè sua periodo, sensim fatiscere videtur, pro immensa misericordia tua inter nos tibi colligas Ecclesiam, cures nobis ex alto, ubi sedes ἐν δεξιᾷ τ̃ μεγαλοσύνης, verbi tui doctores atque professores, eosq; induas spiritu τ̃ ἀληθείας καὶ δυνάμεως, quem hac de caussa impetrasti Ecclesiæ ab æterno patre, ut perpetua sua advocatione & patrocinio perenni salvam ipsam, & rationes atque res eius integras & firmas præstet, veritatis cælestis doctrinam, & studium eius omnipotente manu asserat, & ad hoc congregatos cœtus protegat, & in iis efficax sit, neque quicquam prætermittat eorum, quæ ad gloriam regni tui in ministerio verbi vigentis, & ad salutem credentium pertinent. Abs te veniam petimus delictorum præteritorum, & custodiam in posterum: sis tu, ut fuisti ab initio, ἱκέτης, & apud patrem tuum pro nobis intercede, dele peccata nostra, & infirmitatibus nostris succurre, averte gressus nostros à lubrico, & in viam rectam dirige, ne quid in hac vitæ licentia, & dissolutione, in interitu disciplinæ, morumq; pravitate offendamus, sed ut tui spiritus ductu atque magiste-

rio εὖ ἔρδοντες εὖ πράττωμεν. Suffulci labantem ſcholam noſtrã, & tabulas eius ex tàm diuturno naufragio collige, iterumq; coagmenta, ut ſibi conſtet corpus illius. Concede his terris pacẽ et tranquillitatem, in qua cum principi noſtro clementiſsimo, commiſſæ ſibi adminiſtrationis operam fideliter & diligenter in ſtatu felice & proſpera vitæ diuturnitate exequi, tum nobis etiam ſub tutela ipſius colere & exercere cotidianas operas & ſtudia noſtra liceat. Differ benè meritas pœnas, & in ira miſericordiæ tuæ recordare, nec ſinas lucem doctrinæ, cuius ipse magiſter es, quæq; benignitate tua nobis in his regionibus primùm effulſit, & jam ante noſtros oculos lucet, temporis huius caligine obſcurari, aut ingratitudine noſtra exſtingui, ne in priſtinas demerſis tenebras exitioſas ſedendum ſit in umbra mortis. Fac propitie Deus, ut in vera fide, cæleſtis doctrinæ ſtudio, ac pia & religioſa aſſenſione, in caritatis ſinceræ conjunctione, quæ tui Spiritus vinculo aſtricta ſit, & in ſanctitate vitæ ἀμώμου καὶ ἀνεγκλήτου, in obnoxia tibi obedientia, diligentiaq; officiorum perſeveremus, ac dum vitæ carni debitæ tenemur vinclis, & his in terris peregrinandum eſt, relinquamus χθονὶ τὰ χθόνος, τὰ ὑπερθεν verò, quorum ſpectaculum ad nos duntaxat pertinet, humo ideo primùm excitatos, vultuq; tibi proximo ornatos, inquiramus ſtudiosè, animo ſerio complectamur, & ad ea vi-

tam

tam, ſtudia ac mores, noſtra denique omnia, pro virili parte quisque verſemus. Ita verè de nobis dici illud poterit, ἐπὶ γῆς ὄντες, καὶ ἐν οὐρανῷ τὸ πολίτευμα ἔχοντες.

ORATIO DE ANATOMICA DISCIPLINA, ET GALENI LIBRO, QVI INSCRIBITVR

περὶ ὀσῶν τοῖς εἰσαγομένοις:

Quem publicè interpretandum susceperat anno 78. mense Novemb.

ANimus, quemadmodum Xenocratem dixisse accipimus, mens est sine corpore. Proinde cum liber est solutusq́, nudas & apertas rerum substantias perspicuè cernens, clarissima omnium cognitione fruitur, cælestis ipse, & unus ex omnibus rationis contentionisq́, sempiternarum rerum, & sub intelligentiam cadentium compos. Cum verò in hoc corporis ergastulo velut alienæ domi includitur, ex altissimo domicilio depressus, & quasi demersus in terram, locum divinæ naturæ contrarium, oblivione tanquam densa caligine circumfunditur, & in summa versatur rerum ignoratione. Inde σῶμα antiquis σῆμα dictum esse putarunt, quod in id conjectus animus velut sepeliatur, & à mole eius terrena obumbretur, atque aggravetur. Et Philo, seu quisquis author est eius libri, qui σοφία Salomonis

nis inſcribitur, rectè pronunciat τὸ σῶμα βαρύνειν ψυχῶ καὶ τὸ γεῶδες σκῆνος βρίθειν νῦν πολὺ φροντίδα. At enim licet corpori annexus ſit Animus, et in hoc ſuo tabernaculo oſtrei more circumferatur: nihilo tamen ſecius divinitatis ſuæ rerumq; maximarum ſemina quædam etiamnum ipse retinet, quarum dulci recordatione, quaſi igniculis accenſus, inſatiabili ſciendi & noſcendi cupiditate flagrat, annorumq; progreſſu totum ſeſe in contemplandis rebus perſpiciendisq; ponit. Non eſt autem vis illius ſtatim manifeſta, ſed in prima ſua immigratione in tam inſolitum tamq; perturbatum domicilium corporis, aliquantulum hæſitat, neq; ut hoſpes adhuc, confeſtim audet ſe quaſi explicare. Corripitur etiam (ut Timæus ait) & volvitur velut torrente quodam materiæ, in quo non poteſt primum conſiſtere. Poſteaquam verò ſeſe collegit nonnihil & recreavit, uti natura ſua incipit, & ea agnoſcere reminiſcendo, quæ cognita ſecum attulit, libata ex cæleſti illa ac divina propagine. Ex quo effici vult Plato, ſecutus ea in re Pythagoram, hominis διατρίβειν & diſciplinam noſtram nihil aliud eſſe quàm ἀνάμνησιν, id eſt, memoriam renovatam vitæ ſuperioris, aut eorum, quæ indidem ſecum in corporis coloniam animus importavit: quæ dum recolit & revocat in ſe ipse, non tam diſcere, quàm potius reminiſci dicitur. Communit id ſuum dogma Plato ratione evidenti. Nam in

illo libro, qui a Cicerone Menon nominatur, cuius altera inſcriptio eſt de virtute, Socrates puſionem quendam & corpore & ætate interrogat quædam geometrica de quadrati dimenſione: ad quæ ille, ut puer, primum reſpondet, mox gradatim eò pervenit, ut etiam illa dicat, quæ ignorabat, hoc eſt, quæ nunquam antè didicerat. Declarabat hoc ipſo Menonius puſio, ſe non tum illa primùm diſcere, ſed reminiſcendo, memoriaq; agitando recognoſcere. Neq; verò fieri ullo modo poſſet, ut à pueris tot rerum atq; tantarum inſitas & quaſi conſignatas in animo notiones (quas Græci ἐννόιας & προλήψεις vocant) haberemus, ſi animus vacuus irreperet, neq; prius, quàm intraſſet corpus, in rerum cognitione viguiſſet. Hoc Platonis placitum, etſi (ut pleraq; illius alia) à diſcipulo Ariſtotele, à ſchola peripatetica, & aliis reprehẽditur, quib. animus ſive τὸ ἡγεμονικὸν μέρος animi, eſt veluti χάρτης ἐνεργῶν εἰς ἀπογραφὴν, aut vicem implet pugillarium, in quibus nihil ſcriptum graphio ineſt, neq; notionum neq; ſcientiæ, ſed infertur quicquid habet huius generis ἔξωθεν, videlicet per ſenſus, utpote quibus perſuaſum ſit νῦν ὀδὲν νοεῖν ἀνὲυ φαντάσματος, neq; comprehendere τὰ ἐκτὸς χωρὶς αἰσθήσεως poſſe: eſſe tamen aliquam γνῶσιν προυπάρχουσαν, unum eſt τῶν ὁμολογουμένων. Quòd ſi nihil omninò dicatur ſcientiæ in ſeſe habere animus, ſed rudis eſſe rerum omnium, jam non modo à ſe ipſe, verum etiam à divina

propa-

propagine degenerabit: aut quod est multò absurdissimum, de corporis hospitio & vitam & intelligentiam, & reliqua assumat universa, necessum erit. Atqui diversum comprobat in cordibus nostris inscripta lex, id est, in mentibus fulgentes noticiæ, tanquam radii a divina luce decerpti & in nos evibrati: è quibus ceu primis fundamentis multas extrui artes, hominum generi necessarias, constat. Oblivisciturquidem multorum animus, dum corpori unitur, ob nimium materiæ fluxum: sed eadem vel monente disciplina, vel de sensu deinde recuperat, nec nisi post annorum ætatumq; progressus, fluxu materiæ vel cessante jam, vel potius refluente: Ab huiusmodi opinione reminiscentiæ familia peripatetica longè abesse non videtur, concedens aliquam esse γνῶσιν προυπάρχουσαν, sine qua disci queat omnino nihil. In quo peripateticis cum Platone convenire videtur: verum unde sit illa, in eo discrepant. De sensuum enim facultate Aristoteles eam deducit. Juxta quod, jam etiam membranarum scriptoriarum sive pugillarium similitudo, quibus cum mentem hominis conferunt, accipi potest: de iis nempè, quorum cognitio sensuum velut internunciorum invehitur ope, & in erasa intellectus tabula adumbratur atque adnotatur. Constabunt itaque sententiæ utriusque sectæ, si rationes amplius libraveris. Platonis vera est de notionibus, quas natu-

ra ingenuit nobis, rerum maximarum, ſatis illuſtribus ſanè illis ante lapſum, ſed adeo obſcurè favillarum more in mente noſtra jam micantibus, ut niſi disciplina ab ineunte ætate probè focillaveris, ſtudiiq; ſubinde foveris diligentia, exercitatione confirmâris, tantum non oblitterentur, vel prorſus etiam exſtinguantur. Ariſtoteles de rebus externis loquitur, quæ non niſi per ſenſum illabuntur. Ex his omnibus jam palàm fit, duplicem eſſe μάθησιν: unam priorem, ex natura ipſa ἀνεπιτεχνήτως, nullaq; disciplina aut cura acceptam, ſed animis inſitam noſtris, quæ Platoni eſt ἀνάμνησις: Poſteriorem alteram, quæ acquiritur ſenſibus, & priorem illuſtrat, ſubinde renovat atq; inſtaurat. Cum enim prior illa δύναμις quædam duntaxat ſit, ſenſuum miniſterio doctrinaq; erui, ſuscitari, & in actum proferri oportet, non aliter atque ignem in ſilice conſopitum, qui ferri inflictu, ſilicisvè alterius illiſu proruendus eſt. Ab hac nobis nunc quidem poſt ruinam noſtri generis naturæq; depravationem, ordiendum eſt: quã ita diſtinguere rurſum poſſumus, ut aliam ſtatuamus, rudiorem eſſe, vix inchoatam & quaſi brutam: alteram pleniorem & perfectiorem: illam ſolo contineri ſenſu, & ferè acquiſitis ab eo acquieſcere: Hanc ultrâ ſenſuum limites progredi longius ad occultiora, ſolaq; mente & ratione comprehenſibilia: quæ tamen ipſa conſequi non poſſit, niſi ope ſenſuum tanquam manu

nu

nu ad ea deducatur. Vt hoc etiam jure prior ἐν διδασκαλίᾳ locus τῇ μαθήσει posteriori deberi videatur. Est enim rata constansq; lex, primùm in ea incumbendum esse, quæ obvia sunt sensibus, unde tanquam à certis rerum internunciis posita olim fuêre disciplinarum fundamenta, è quibus demum perfectior omnis humana cognitio ducta derivataq; est.

Hæc summa est investigandi facultas, quã natura ipsa præscribit, dictat ratio, quam probatissimi quiq; hactenus sunt secuti, quibus curæ fuit omnia dilucidè discentibus proponere. Horum vestigia nos quoq; non solum in anatomes, de qua aliquid dicere hoc loco constituimus, sed totius artis professione tenere convenit, & ab eo exordiri quod artis existit subjectum, omniumq; primum sensibus occurrit notissimum. Id verò est corpus humanum, sed non unum simplexq; (quale si esset, nullo doloris sensu afficeretur, ut ait Hippocrates) Sed παμμιγὲς καὶ πανηγυρικὸν, id est, ex pluribus & interim diversis aggregatum, concinnatumq;, & de Aurelii Augustini quidem sententia, ex quatuor compactum elementis. Ossa & caro, qua illa ambiuntur, terram firmitudine & soliditate sua referunt. In humoribus aqua conspicua est: Aër in pulmone, proinde in motu est perpetuo, tanquam cordis ventilabrum, calori contemperando idoneum, ne inde illud amburatur. Ignis in corde est, caloris insiti infur-

nibulo:

nibulo: quo argumento infrâ latum est, superioribus sese fastigiantibus, quæ ignis figura propria est. E corde enim vis ignea, aëre temperata in cerebrum, ceu nostri corporis cælum exæstuat, inibique expurgata & percolata quodammodo per sensuum organa sese promit. Tot verò cum sint, de quorum coalitu corpus componitur, suisq; distincta gradibus, & ex his quidem alia exterius sita, alia intus abdita atque recondita, dubium iterum esse potest, quò te primùm vertas, quam universi partem cui in doctrina præferas seu loco, seu dignitate, quando de omnibus pariter pertractari neque potest neque etiam debet. De jam ante dictis hoc manifestum est τὴν τῶν ἔξωθεν θεωρίαν jure quodam suo prærogativo antecedere oportere τὴν τῶν ἐντόθιον γνῶσιν. Atqui illud quoque apud omnes in confesso est, suam cuiusq; mentem, ut divinissimam, ita primam esse, in qua id existit, quod hominem appellamus: Cuius nostrum unusquisque umbra duntaxat, atque imago est. Ab hac ergo, prout unaquæq; e partibus corporis, vel propius aberit, vel videbitur esse aptior ad illius ministerium, aut ad accipienda mandata expeditior, & in agendo mentem plurimum juvabit, ita cæteris quoque antecellet. Verum de hoc plus verborum in præsentia facere nos non oportet, relinquentes litem illam iis dirimendam, qui huius exquisitionis jus sibi sumunt. Quoniam autem secundum Fabi-

um

am multò difficilius est, judicare quid doceas, quàm cum judicaveris, docere: & reperiuntur hodie nonnulli, qui in scholis ambitiosa, & quibus aliquem mereantur applausum, malint proponere, quàm per convenientia disciplinarum vestibula aditusq; ingredi, & ab inferioribus ad superiora gradatim procedere, susq; deq; habentes, quanto interim discentes morentur compendio: nos eam rationem ineundam esse arbitramur, quæ ipsi naturæ duci optimè respondeat, & ingeniis quadret captibusq; discentium, & cum utilitatis eorum respectu conjuncta sit, posthabitis interim & procul relegatis istiusmodi illiberalibus & juventuti capitalibus atq; exitiosis compendiis. Scilicet hoc iter ingressi nos ne latũ quidem unguem ab ea orbita deflectemus, quam à veteribus & Galeno inprimis impressam etiamnum videre licet. Salvo igitur jure cæterarum partium, ossibus primum locum in disciplina anatomica cedimus: quorum historia sese cum simplicitate, tum perspicuitate sua commendat auditoribus. Ab hac Galenus quoq; censuit ordiendũ esse omnibus, qui in institutis anatomiæ operam navare cuperent: aliter futurum ut sibi ipsi constare nequirent: immò in ipso limine impingentibus postea perpetuo esset claudicandum. Quibus .n. cunq; quæ visum est, in stadio disciplinarum itinera ineuntur, eos sæpenumero cõtingit vix benè spacia ingressos sua, ad carceres revocari,

& ex

& ex itinere revertere. Quantò ſatius fuerit, prius adhuc, quàm ordiaris, incitationē animi ratione quadam & conſilio temperare, quàm cum perperam orſus fueris, per devia fruſtrà contendere, adeoq; oleum & operā perdere. In hac commemoratione mè neceſsitas quaſi injecta manu paulliſper conſiſtere ac commorari voluit, tyronum de introitibus, quà disciplinæ adiri poſſunt, erudiendorum gratia. Et videbatur ſanè in eo operæ precium fore. Eſt enim profectò ambitioſum hoc ſeculum, & tyronum ætas maximè dum rudis, in qua ſemper plus pollet appetitus, quàm ratio, quàm mens ipsa: quæq; à recto tramite facilè abduci, & in præceps agi poſsit. Sed jam ſatis ſuperq;, & nimis multa hac de re dicta videbuntur eſſe, & fortaſſe dudum ad hæc aures quibusdam obſurduêre, qui non valdè plerunq; monitis eiusmodi animos permoveri patiuntur.

Quemadmodum autem in magno illo mundo terra, pars illius infima, primùm patet ſenſibus, ante oculos poſita noſtros: ita in corpore τȣ̃ μίκρȣ κόσμȣ (qui viris ſapientibus tradente Ruffo homo eſt, magni illius mundi ἀντίμιμον) terræ analoga oſſa, licet carne viſcerumq; incubitu operta ſint, ſtatim tamen ſe offerunt, cum ob ſoliditatem, tum quia molem univerſi moderantur atq; gubernant. Dein ut terra quoddam quaſi fundamentum eſt univerſi: ita oſſa quæ ipſi reſpondent, inſtar habent fun-

damen-

damenti jacti ad totius corporis substantiam suffulciendam. Et quod in papilionibus è tensis velis pali, & in ædibus συλοβάται sive substratæ columnæ, id certè in animantibus ossium substantia præstat, stabilimen ac robur corpori erigendo sustinendoq; idoneum. Adhæc quod maximi est momenti, natura ad exemplar & imaginem ossium conformat reliquarum etiam partium habitum, quo induit illa atq; amicit. Adest abundè eorum, quibus id comprobes. Vnius capitis cælaturam multarũ partium forma consequitur. Oblongo angustior inest capacitas, unde cerebri ventriculos comprimi, motionisq; vitalis officinam libertate privari sua accidit. Neq; verò cerebrum solùm capiti conformatur, verum & cervix & dorsalis medulla, quæ è cerebro, velut à radice caudex erumpit, adeoq; totius nervosi generis delineatio. Benè constitutum caput cervicis latitudo & torositas velut è vestigio sequitur: parvum vero, vertebrarum tenuitas: productum, cervicis longitudo, unde μακράυχενες. Ex quibus, quæ nam sint nervorum, & totius molis vires, facile conjicias. Cervix, quæ medullæ exortui propinquissima est, si paullò sit procerior, medullam ac tubum, quo ipsa decurrit, arctiorem, & stolones, quos in corpus inde emittit, multo tenuiores ac debiliores habet. Cervici reliqua ferè spina quasi consentiens, eodem modo prolongatur. Ex his omnibus sive natu-

rali-

raliter ita efformatis, sive de industria & consultò, idq; ex consuetudine Cossa enim tenera adhuc atq; sequacia variè fingi sese porrigiq; quoquo versum patiuntur) tanquam ex vero specimine etiam metiri ingenia, & suos cuiusq; mores naturæq; propensiones æstimare, indeq; naturalis præsensionis disciplinam detexere licet. Vulgò hebetes, stupidos, & molles, & ad quævis munia ineptos longa spina infamamus. Ita Paulus Judæos σκληροάυχενας appellat, id est, ἀκάμπτους, quos neq; præmia mollire, neque pœnarum atrocitas ad pietatis studium & disciplinam erudire queat. Thorax preßior & angustior medullæ spinalis, cui ille per vertebras jungitur, defectum aut profectò in materiæ copia calidi imbecillitatem profitetur. De oßibus reliquis pronunciandũ similiter, quibus membrorum moles afformatur.

Neque verò hoc prætereundum silentio fuerit, principem in nobis naturam, quod ἡγεμονικὸν appellant, καὶ τὸ ἡγεμονοῦν, ossa sibi habere admodum obnoxia. Quorsum enim illa intenderit, seu voluerit excurrere, seu resistere, præstò sunt ossa ad faciendum & exequendum, quodcunq; imperatum fuerit: ea jubente aut quiescunt, aut molem impositam gestant, & quoquo versus ipsius instinctu, velut ita condocefacta feruntur. Non inconsultò incitantur ossa absq; aliqua instructione & gubernatione, quæ est mentis intentio & admonitio. Nimirum

rum his rationibus minimè futilibus, sed cum ipsi naturæ, tum captui ingeniorum convenientibus adductam fuisse olim antiquitatem credi par est, ut vestibulum arti nostræ ossa potius, quàm aliam corporis partem statueret. In disciplina anatomica ὀστεοτομία multò prius cognita fuit quàm cæteræ illius partes: quod nusquam deesset copia creberrimè ossa inspiciundi. Sanctorum patrum ossa accipimus diu in conditoriis asservata esse, & interdum aliò transportata, quemadmodum Josephi in Palæstinam ex Ægypto: ubi (ut est in Phædone apud Platonem) corpora fuêre recondita, & rebus quibusdam ad durationem curata, ut incredibile tempus quasi integra manerent. Vidit Octavius Augustus, cum in Ægyptum pervenisset, corpus Alexandri Magni prolatum è penetrali conditorii, quod ita veneratus est imperator, ut coronam auream imponeret, & flores monumento aspergeret. Consultus postea, num Ptolemæum etiam inspicere vellet: Regem, inquit, se voluisse videre, non mortuos. Tempus autem, quod Alexandri mortem, & eum annum, quo rerum in Ægypto potitus est Augustus, victis & profligatis apud Actium Antonio & Cleopatra, intercedit, annorum est plus minus 290, quot nimirum perennaverat jam corpus Alexandri, ita ut membra omnia, & cutis ipsa unâ cum pilis præcipuè superciliorum palpebrarumq; exstarent & servaretur ἡ ὅλη φύσις τοῦ σώματος ἀπαράλλακτος. Idem ferunt & de

Titi Vespasiani cadavere. Hinc illa posteris seclis cœpit apud pontificios ad Cœmiteria & sepulchreta ossium in domunculis custodia atque tutela. Quam rem posteros non dubium est ad impietatem convertisse τ ὀστεολατρείας. Cum enim ita accuratè & religiosè ossa viderent non tantum in templis custodiri, sed in nundinarum panegyribus etiam ostentari publicè cultu & veneratione ea postea dignati sunt. De ratione condiendorum corporum, quæ olim apud Judæos, cum balsami adhuc copia esset, balsamo constabat & myrrha, apud Ægyptios cedri succo, & secundum Strabonem 16 γεωγραφικῶν bitumine Judaico: hodiè apud eosdem & Syros, aliàs aromatibus preciosioribus, aliàs vilioribus, nempe bitumine simplici aut piceato, nativo aut factitio, hoc est, pissasphalto: de ea igitur varia & multiplici, alibi dicendi locus & occasio dabitur. E ligno cedrino capulos & feretra olim parata fuisse, author est Serapio, quod vim habere crederetur φυλακτικὸν τ νεκρῶν σωμάτων: unde & νεκροῦ ζωὴ resina eius appellata est. Quamvis enim vitam auferret spirantibus: defunctis tamen pro vita fuit: hæc quidem depasta extrita atq; epota humiditate, quæ putredinis mater est, durans, atque incorrupta servans: illa verò calorem vitalem accendendo jugulans, pessumq; dans. Consimilis ingenii est & Aloë, quod recentiores medici succocitrinum nominant, contra putrefactiones præsentissimum, quod haud scio, an idem

sit

sit cum cedrio, & rectius succocedrium dici oporteat. Cæterũ quamvis putresceret caro corporum: solidiores tamen illius partes, ut ossa, & quibus invicem adjuncta sunt, nervi ac similia permanebant (ut ita dicam) immortalia: quæ ita exiccata interq; se compacta in convivia intulêre Ægyptii, hortantes convivas, ut de eiusmodi licet ingratis & intempestivis comessatoribus, documentum caperent brevitatis vitæ, & ad amorem, dilectionemq; mutuam pro se quisque exstimularentur. Imbuerat mentes veterum τῆς ἀναβιώσεως opinio, vel potius persuasio non dubia, cum ex verbo scripto, tum religionis professione παραδοσίμῳ hausta, atque Enochi exemplo posteà confirmata, qui ante diluvium ab ipso DEO unà cum corpore suo in cælum traductus est, imàgo & exemplum vivum immortalitatis animorum. Sed enim unusquisq; ex suaptè statura, suiq; corporis habitu, doceri abundè poterat de alia post hanc vita restante. Cæteras enim animantes Deus ad terram depressit, ut, quia nulla his immortalitatis exspectatio est, toto corpore in humum projectæ pabulo servirent, & suo abdomini. Solum hominem voluit ex omnibus creator facere cælestem, ideoq; humo primùm excitatum eum celsum constituit, bipedemq;, & ad cæli contemplationem rigidum erexit, ut eadem spectaret, unde traxisset originem, & aviti municipii, ex quo vi astuq; diaboli ejectus es-

ſet, ex divina gratia recuperatum poſtliminium ſperaret. Idq; propter in ſumma arce erecti corporis, mentem & interpretes eius ſenſus collocavit ad ſpeculandum, & aulam eius non obductam porrectamq; formavit, ut in mutis & nihil intelligentibus beſtiis, ſed orbi & globo ſimilem, quo tanquam cælo divinus ille ignis tegeretur. Sic undiq; omniq; ratione concluditur è terra quidem hominem eſſe, at non ut incolam & habitatorem, ſed quaſi ſpectatorem ſuperarum rerum atque cæleſtium. Scilicet hoc argumentum in figura hominis facere libet, immortalitatis animorum, & reſtantis vitæ beatioris: cuius authoritatem ſeu refutare, ſeu elevare nititur Galenus ſuo illo ὀφθαλμοσκόπῳ, ſive callionymo piſce, qui velit nolit cælum intueatur: quem cum nimia ſapientia dimittimus in præſentia, certò nobis perſuadentes, veteres corpora, quæ ſuis certò ſcirent animabus aliquando iterum copulatum iri, tam accuratè cuſtodiiſſe, & ſepulchra tanquam corporum portus ſumma religione fieri ceremoniaq; voluiſſe, ut teſtatum facerent eo ipſo, mortem eſſe γένεσιν εἰς τ' ὄντως βίον καὶ τ' εὐδαίμονα. Neſcio an eam ob cauſam ſepulchra Athenienſibus πρὸς ἕω ἡ ἀνατολὰς fuerint poſita, quod equidem credi poteſt. Alii ſeu magis feri & barbari, ſeu potius corporum putreſcentium mephitim abominati, in παρηφάγῳ (qui lapis circa Aſſon Troadis fiſſili vena ſcinditur ad κρυπτὰς ſive conditoria)

toria) sepelivêre, quæ corpora intra dies quadraginta absumta penitus esse, exceptis dentibus, constat. Animantium sectio corporumq; apertio sive visceratio multò pòst primùm usurpata est, quod hominibus olim minus voluptati deditis diu a carnibus abstentum esset, secutis fortè ea in re exemplum prisci illius Orphei (quem Aristoteles docet nunquã fuisse, & carmen eius ferunt Pythagorici cuiusdam fuisse cerdonis) aut decreta Pythagorea, quibus ἡ ἀποχὴ τῶν ἐμψύχων sancita est, ætate Hippocratis jam propè inveterata. Adhæc testatur experientia, nullum cadaver esse humano formidabilius, ideoq; perpaucos sic animatos, ut attrectare ausint, nedum incidere. Ne quid dicam de laboris molestia, quam non valent multi sustinere. Brutarum animantium dissectio penes sacerdotes fuit in populo Israëlitico, & in sacrificiis publicis exercita: quos certè non decebat carnes pro libitu laniare, sed ὀρθοτομεῖν, id est, ritè partiri juxta præscriptum adhibita cura, & suum Deo tribuere, atque cremare, reliqua servare sibi ad victum necessaria. Ab his manavit postea consuetudo ea ad alios, & a pecudibus ad hominum corpora transitum est. Ita paulatim, & velut gradatim anatome fines suos promovit longius: sed admodum serò scripta & divulgata est, quòd artificum duntaxat liberi domestica institutione ad inspiciendas sectiones adhiberentur, Et solus Hippocra-

tes, (qui Pati testimonio, in epistola ad Artaxerxem a patre quidem Asclepiades est, a matre verò Heraclides) cum posteritate sua huius exercitii possessionem domi suæ diu retineret. Exercebatur juventus illius seculi domi, ut lectione scriptioneq;, ita in cadaverum consectionibus, & his exculti animi puerorum, non secus atque lanæ certis coloribus ad purpuram bona fide & ingenuè potandam, quasi præparabantur. Quæ quidem institutio veterum exercitatioq; per successionem assidua, si cum magistra experientia huc usq; producta esset, utique poterat scriptionum monimenta levasse. Quorsum enim opus esset picturis, quorsum tam prolixis commentariis, si à maioribus κ᾽ τὴν παρ᾽ ἀλλήλων παραδοχὴν ἐ ἀπόνως, hoc est, veluti per manus traditam hanc disciplinam sine labore conservare nobis licuisset? Sunt profecto picturæ & libri nihil aliud quàm τ μνήμης φάρμακα. Atqui ne incidendi ratio cuiquam sic edocto memoria excideret, non magis erat metuendum, quam litterarum elementa scribere obliviscerentur ii, qui ab ineunte ætate ipsa didicissent. Cæterum nihil impetu tyrunculorum inconstantius est, vehemente quidem inter initia ad optima quæq;, nisi verò præeas, aut subinde exhorteris, continuò esse remissior incipit. Neque enim quicquam deflagrare citius solet, atque animorum ille vix dum pubescens ardor. Præterea suæ sunt ætates, quemadmodum

dum rebus aliis, ita & optimarum artium studiis, quibus ineunt, florent, vigentq, quibus item velut vieta languent. Propterea cum pueris istiusmodi exercitia invitius & jam etiam fastidiosius tractarentur, ars ipsa Asclepiadarum familia excidit, ac τοῖς ἔξω, hoc est, iis, qui in ea non censerentur, communicari, propagariq, latius cœpta est. Sed & his adeo securè humani corporis compago atq, structura attrectata est, ut vix ante Dioclis, aut Herophili tempora, exacta corporis partium speculatio monimentis tradita fuerit. Simplex illa & minimè fallax canicies perpaucas viscerationes exercuit, & sese inspectionis interaneorum raritate tuetur, in quibus ipsis fides illius capite deminuta videtur, et vero ridenda etiam nonnunquam solertia. Ecquis enim venarum è capite fontes & quaterna paria Hippocratis ferat sensui prorsus contraria: Leguntur ea in libro περὶ φύσεως ἀνθρώπου, juxta finem qui Platonis testimonio germanus est: Etsi hoc de venis Galeno suppositicium censetur, & vitiosum universum. Quis Aristoteleam nervorum originem libenter aut patienter audiat? Ne Platonis somnia recenseam, quem Macrobius dicit in anatomicis de se risum posteris tradidisse. De disciplina anatomica quicquid ab Hippocrate proditum est, id in secundo de morbis popularibus libro ferè consumitur: Eoq, nomine deplorandam maxime venit, librorum Galeni περὶ τῆς

ἱπποκράτους ἀνατομικῆς jactura, in quibus dubio procul Hippocraticam dicendi formam, id est, verborum pressam proprietatem, sententiarum concisam subtilitatem, sermonis denique venerandam antiquitatem Asiatico illo & redundante scriptionis genere, amplificando illustravit, & illustrando amplificavit. Nam post parentis in medicina ætatem nemo usum verborum, sententiarumque distinctionem, dictionis denique maiestatem conservare accuratius, & tradere posteritati fidelius illo potuit. Vt taceam Galeni in ante citatum librum Hippocratis ὑπομνήματα, perfunctoriè quidem operaque tumultuaria congesta, (ut solent ferè huiusmodi adversaria, & quasi pugillares confici, ad novandam memoriam, & aditum ad difficiliora muniendum) sed quæ præter oculatam rei demonstrationem sententiam de tota caussa ferre potuissent, si à posteris successu temporis essent divulgata. Diocli Carystio, & Praxagoræ Coo, Nicarchi filio, non ita multo post Hippocratis tempestatem claris, etsi commentatio anatomica jure quodam hæreditario obvenerat: tamen rudem quandam, neque exactam dissectionis cognitionem habuerunt, quæ negligentia posteritatis penè interlapsa interiisset, nisi à junioribus Herophilo & Eudemio interpolata esset & restituta. Sed inventa veterum nulla ab iis via, nullaque ratione, ne quidem ab Heracliano, qui cum Alexandriæ con-

suetu-

ſuetudinem Galenus habuit non vulgarem, locupletata ſunt ad memoriam usq; Marini & Nomiſiani, quorũ virorum discipuli ſanè multi, ſed inter eos clariſſimi fuêre, Nomiſiani quidem Pelops, Galeni præceptor, Marini Quintus: qui acceptum à maioribus patrimonium plurimum auxerunt, certatim in commune negocium operam navantes. Et exſtabant illis temporibus lucubrationes Quinti auditorum anatomicæ, Satyri item quem Galenus auſcultavit, & Lyci. Omnium genios atq; conatus ſuperavit Galenus, qui in hæc ſtudia minimè leviter incumbendo defectas propeq; acciſas maiorum vires ſua navitate reſarſit, & experientiſſima rerum cognitione compenſavit, eoq; ipſo poſterorum ſtudia in inquirendo multum adjuvit. Sed enim præſtare ea ipse hauquaquam potuiſſet, niſi ope & inventis maiorum nixus eſſet: quorum diligentiam, ſeſe temporum illorũ æquitate ſuſtentantem, ipſe non elevat, multo minus authoritatẽ convellit. Hac ratione ſubinde ſtudia anatomica, & inprimis deſcriptio interaneorum, ab antiqui nominis authorib. vixdum inchoata, magna poſteritatis impenſa adaucta ſunt, atq; cumulata, præter cognitionem indies adhibitis, manuũ aſſidua attrectatione, & αὐτοψίᾳ fideli, tum ad ſcriptorum monimenta & lucubrationes magna accedente ingeniorum felicitate. Oſſium disciplinam ideò citius proditam eſſe poſteritati ſuperius diximus, quòd

minus esset operosa, & ipsa verò etiam passim obvia, non solum in conditoriis, sed & in conviviis cotidiè ad spectandum proposita. Exstabat præterea illis temporibus inter Apollinis donaria Delphis ex ære pervetus effigies hominis, cui carne consumta sola reliqua essent ossa (σκέλετον græci nuncupant) ab Hippocrate quasi primitiæ quædam sapientiæ anatomicæ Deo consecrata. Cui cum authore Pausania Phocensium dux Phayllus se similem factum videre visus esset, paucis pòst diebus macie contabescens somnii eventum implevit. His libuit immorari paullò diutius, ut constet, quo pacto, & unde primum disciplina anatomica cœperit, & quomodo mutatis subinde familiis, & avitis possessoribus, pedetentim sit progressa. Ad hæc ut unusquisq; qui se studio illi volet dedere, persuadere sibi possit, oleum & operam perditum iri, nisi ab ossibus in artem ipsam fiat ingressio, mox ad musculorum concisionem (quæ duæ corporis partes reliquis omnibus tanquam θεμέλια subjectæ sunt) ab his ad viscera, mox ad venas, ac deinceps ad quasvis alias partes secando procedatur. Est autem Galenus (cuius certè tanta fuit apud priscum seculum existimatio, ut si Eusebio credendum est, tantum non adoraretur) optimus Magister ossium, & anatomicorũ reliquorum Coryphæus, qui historiam eorum universam libello complexus est sanè quàm brevi, at valdè perspicuo atq; plano: in quo a summæ

calvæ

calva tanquam fastigio ad usq; ima pedum ossa per gradus descendit, & singula ordine, quo sunt posita, nervisq; invicem adjuncta, prosequitur. De cuius pergrata & ad salutem humanorum corporum necessaria utilitate in præsentia copiosius diceremus, nisi liceret eam auditoribus ex hactenus dictis utcunq; æstimare. Hoc tantum addimus, non posse quenquam vel mederi doloribus, quibus ossa excruciantur, acerrimis, vel luxata ea, aut locis dimota suis reponere, vel fracta ferruminare, denique siderata exscindere atq; ex toto auferre, cui tàm ossa, quàm sedes eorum ordinaria, non exactè prius sint cognita. Quod si malè habentibus ossibus inter initia non statim consultum, artéve succursum fuerit, quomodo prohiberi malum poterit, quò minùs ad partes contiguas, quæ ossium compagini annexæ sunt atque affirmatæ, continuò serpat? Cæterum objiciat aliquis, in artibus non solùm quæri oportere utilitatem necessariam, sed animi etiam liberalem quandam oblectationem, qua similiter animos discentium capi contingit, & ad amorem disciplinarum excitari. Vix uspiam autem plus afferri ac facessi discentibus negocii, quàm in dissectionum exercitationibus. Quis verò unquã boni aliquid, non dicam sine labore, sudoreq; multo, (quo natura cuncta obstruxit atq; circumscripsit) sed sine molestiis maximis consecutus est? Nullus credo. Etenim fieri non potest,

ut

ut ex libro, quod dici ſolet, unquam gubernare diſcas: aut roſæ vel odoris eius unquam fias particeps, niſi digitis, quibus conaris decerpere, ſpina punctim vulneratis. Qui nucleum eſſe vult, inquit ille, is corticem frangat, neceſſe eſt. Edidit quidem natura nos dociles, at rationem dedit imperfectam, quæ perfici tamen poſſet. Neq; virtus animo contingit, niſi inſtituto atq; edocto. Iſte verſus & in pectore & in ore ſit: Nil ſine magno vita labore dedit mortalibus. Poterit autem moleſtias illas utcunq; diluere ipsa ſpectaculi jucunditas. Eſt enim nulla ad ſpectandum propoſita res pulcrior, nulla perindè bella, atq; ſibi ipse unusquisq;, μικρὸς Διόκοσμος, θέαμα κάλλιστον φυσικῷ ἄνθι κεκοσμημένον. Cuius oſſa nequaquam pars infima ſunt, divini aliquid, quemadmodum membra reliqua, à natura ipſa quoq; adepta, quod in functionis et muneris dignitate luculenter elucet. In quorum admirabili fabrica, etiam naturæ providæ & intelligentis ratio apparet. Ea enim intus incluſa, ita nata, atq; ita locata ſunt, ut nullum eorum fortuitum aut ſupervacaneum ſit, nullum ad vitam tuendam retinendamq; non neceſſarium. Sunt ea ſubjecta corpori, mirabiles adepta commiſſuras, & ad ſtabilitatem aptas, & ad artus finiendos accommodatas, & ad motum, & ad omnem corporis actionem. Ad quam providentiam naturæ tam diligentem, tamq; ſolertem, adjungi multa poſſent, niſi ve-

rendum

rendum esset, ne nostræ orationis filium, justo longius produceretur, & ad invitandos tyrones essent paullò pòst inserenda alia. Scribitur anatome olim in tanto habita fuisse honore atque precio, ut in excellentissimo dignitatum fastigio collocatos Imperatores ac Reges in ea neq; tæderet neq; puderet, studium & industriam ponere, ratos vel ideo decere unumquemque gnarum esse sui corporis, ut ex hoc quasi speculo, non modò sortis humanæ documenta perciperet: verum etiam multoq; adeò magis ex tam admirabili & solerte œconomia in corporis fabrica Deum ipsum cognosceret, hominum amantem, & in genus eorum providum. Affuêre Galeno, dum sectionem moliretur, Boëthus & Paulus Sergius, viri Consulares percupidi domicilium illud, in quo anima inhabitaret, introspiciundi. Nescio an minorem de se voluptatem nobis ὀσφρησία præbitura sit, cum alibi, tum vero in concamerato antro ossis saxei, in quod placuit naturæ terna illa ossicula abstrudere, minutissima quidem omnium in universa compage, at cæteris tamen non inferiora, usu & muneris ratione etiam superiora: quippè quæ auditui ancillentur sensu cernendi si non digniori, saltem utiliori. Visus enim ad disciplinarum inventionem dux est. Per autem paucis hæc contingit, & manca ea atq; inchoata. Auditus contrà ad excipiendam ab aliis διδασκαλίαν est accommodatior, per quem suffragante

gante judiciorum communicatione inventæ artes, & scientiæ auctus capessunt, suos donec ingeniorum tanquam collisione perficiantur. Ita operibus à visu inchoatis, & adhuc rudibus illis, auditus velut fastigium imponit, eaq; absolvit. Quin & dormientibus præsidio auditus est, a quo cum sonus acceptus est, etiam è somno excitati sese tuentur. Cæterum ut palàm fiat, neque ἀναπομπὰς ἐγχρήστος voluptate sua fructuq; jucunditatis orbatas esse, si libet inaccessum medicis veteribus antrum ingrediamur, & curiosis oculis perlustremus, quid natura (ut sic dicam) negociosa inibi rerum agat. Qua via oculis primum patet, ea est in auribus, qua vox ad animum transit, introitus habens corneolos cum multis flexibus: cuiusmodi naturis relatus sonus non modo colligitur, sed etiam amplificatur. In extrema huius ora circumfertur intus crepido, sub qua per abruptum in secundam cavitatem descenditur, à priore illa disclusam membrana tenerrima, per transversum in crepidine expansa, meatuiq; secundo repaguli vice adversus aërem externum præfecta. Dorso membranæ illius chorda non aliter intenta est, atq; nervus militari tympano, quod baculis complodi solet, implicans ipsiq; membranæ affirmans tergemina ossicula, è quibus malleus ita situs est, ut processibus suis membranæ inhæreat & chordæ: Capite autem parumper sublato, incudi sese offerat eiusdem-

que

que tuberi γλωοϛδεῖ inarticuletur. Incus bipes est, & unum pedem breviorem parieti secundæ cavitatis impingit, proceriore altero superscandens vocatum aquæductum, duriori ramulo quinti paris nervorum cerebri, inter crura incudis dimidiati orbis ritu subter incisum, apici stapedis insistit. Summum ergo stapedis est devinctum incudi, basis vero fenestræ ovali altè immersa, penè ad vestibulum usq; labyrinthi. Ossicula hæc mutuo coalitu invicem perquàm affabrè deligata sunt, suum quendam motum adepta, sed ἀμυδρόντε & δυσφώρατον. Scilicet hæc omnia meditullium occupant meatus secundi, à quo hinc inde patent itinera: prorsum quidem aliquot versus radices ἀποφύσεων πτερυγώδων declivia, quæ hiscere constat externi aëris introitui, quo internum alterum sive complantatum, ut vulgus vocat, sive reliquorum spirituum more in corpore de alimento genitum instaurari subinde oportet, atque sustineri: retrò vero unum dirigitur in alveum processus mamillaris amplissimum, innumeris scatentem cavernulis, distinctumq; anfractibus apũ loculamentis haud dissimilibus, & nequaquam vacuis, verum interno refertis aëre, qui interceptus in illis exactius conficitur, & eò usq; elaboratur, dum ætheris quasi naturam induerit, adeoq; destinatæ sibi provinciæ excipiendi & ad animum deferendi vocum sonorumq; discrimina aptior fiat. In medium secundi

cundi meatus ſpacium, verſus interſepientem membranam, è poſterioribus duabus aurium cavernis, proſpiciunt feneſtellæ geminæ, remota membrana intuentibus adverſæ, ſtatimq; obviæ: quarum anterior ovalis nominata directò viaq; breviſſima ex ſubdito Labyrintho, aliquot prædito diverticulis, educitur. Innominata altera poſterior, circuitu quodam pertinet è cavitate κοχλιοειδεῖ, ſic appellata a tortili ſpirataq; ſtructura, teſtam cochlearum referente. Per utrasq; ſalvus deductus datur ſono ſive ſtrepitui in cameras poſteriores, quò quidem ipse penetrat ſeſe per angiportum, tanquam bivium quoddam, feneſtrarum foribus intus allocatum. Eò trajectus, inibiq; collectus, mox per cæcum foramen, à baſi ad mucronem usq; in medio cochleæ corpore cælatum, velut emenſo ſtadio ſuo allabitur quinti paris nervulo, per foramen oſſis ſaxei inſerto. Quo vectore demum ipſi cerebro, cuius nervus quidam pullulus & propago eſt, communicatur. Hæc ſunt penetralia aurium, hæc oſſicula naturæ operam ſuam in audiendi ſenſu accommodantia: hæc deniq; aëri interno conficiunda ſpacia, antequam ad cerebrum aſpiret, tot & tam multis exaſperata quaquaverſum actis cuniculis, mæandris atque diverticulis, ut in citato motu ſuo ſpiritus interior ſubinde retardari poſſet, niſi maior ipſi ex ictu impetus additus, & facies inſuper cavitatum ſumma membranulis tenerrimis,

rimis, lentioreq; muco velut marmorato lævissimo oblita, ac ceu pavita esset. E quibus nunc æstimare ac statuere nobis paullò fuerit proclivius, quemadmodum sonus non quidem primùm fiat (hoc enim extra aures contingit) sed quo pacto haustus ab auribus intus cum accipiatur, tum menti tradatur. De externi aëris, sonum per aditus corneolos citra turbam deferentis, placidiore illisu insultuque in membranam, necesse est, non solùm ipsam cum chorda vibrari ac personare, sed & utrisq; innexa ossicula commoveri. Estq; verò consentaneum strepitus imaginem trans membranam tum imprimi interno aëri, ab ossiculis autem tanquam graphiis in eodem consignari. Qui nova jam indutus qualitate, & ex ictu illisionisq; impetu supra modum extenuatus, per fenestras & earum angiportum, ultrò citroq; commeanti aëri pervium, magna pernicitate in labyrinthum, indeq; in cochleam spiratim sese trajicit. His locis tortuosis atq; inclusis, jam iterum strepitus exacuitur, & auriga eius spiritus extenuatur, quò per cochleæ cæcum, sed rectum tamen cuniculum possit expeditius eniti, & nervo tradi integer, vectoreq; animali spiritu εἰς τὰ ἡγεμονικὰ, *ut Plato loquitur, vel potius ad communem sensum, omnium imaginum ab externis importatarum existimatorem, trajici, et ex hac* ἀναλάσει *internuncio sensu communi tandem ad mentem deferri. Videtis quanta*

ſuppellectile inſtructa ſit naturæ benignitas, quam nullius lenocinii negligens ipſa, in omnibus moleſtiis & difficultatibus, quibus nobis res videntur obſtructæ eſſe, condiendis, ut operum ſuorum amorem in nobis accendat. Quod vel ſola aurium ſtructura abundè nobis jam teſtatum fecit, quam ſcientiſſima architecta ita affabrè machinata eſt, ut vim quandam incredibilem artificioſi operis divinique teſtetur, neque jam quenquam noſtrum itineris per cameras aurium emenſi pigere poſſit, aut debeat. Etſi autem in hac ipſa quàm multa adhuc ſint ita occulta, ut cauſſas eorum perveſtigare nec poſſit, nec capiat humanæ mentis conjectura, inter iſta planè adhæreſcens, nemo eſt omnium qui ignoret: quo nomine auditoribus videmur excuſari jure poſſe, ſi votis eorum minus ſatisfecerimus: in Academiæ tamen ſententiam delabi nos non oportet: quin potiùs in iis, quæ ſciri poſſunt, ſuam quisque conferre operam ac penſum naturæ exigenti perſolvere debemus. Vt multa enim atque adeo multa caliginem ingenii & mentis effugiant: non protinus tamen dilabuntur omnia, quin ea acies, quam præſertim ſtudii diligentia exacuerit, prævertat, contempletur, perveſtiget, & aliquid inde pro uſuræ auferat. Idcirco nobis ſtudio atque reſpectu poſteritatis, vel ultra vires nonnunquam audendum eſt. Interim admiremur cætera, quæ voluit Deus hominis intelligentiam excedere, neque

que cum ſapientia deſipiamus, aut ſimiliter faciamus, ut ſi adverſi ſolis radios quis continenter intueri conetur. Etenim circumdatas nobis à natura metas cognitionis, quæ in hac vita Apoſtolo teſte eſt ἐκ μέρους, id eſt, ἀτελεστέρα, nemo unquam impunè erupit: & conſtat ἡλιοσκόπους illos adeò non potuiſſe tantæ lucis fulgorem ſuſtinere, ut cæcitatem & caliginem ſibi accerſerent perpetuam. Si qua ſunt igitur in hac minus conciſa, & peniculo rudiore adumbrata delineatione, quã ſaltem illicium qualecunq; diſcentibus eſſe voluimus, aut nondum explanata ſatis, aut derelictui habita, in iis perſequendis, &, quo par eſt loco, declarandis verſabitur cura noſtra.

Poſtremò ut aliquando paſſa orationis vela contrahantur, & navis noſtra ſubducatur in portum, in Galeni libello, quem περὶ ὀσῶν inſcribit, & tyronibus nuncupat, hunc ordinem & hanc rationem ſequemur: Primum illam in capita diſtinctionem ac titulos, à quocunq; tandem aſſuti ſunt, retinebimus, cum vice ſint ſtatuarum Mercurialium, & quid ſingulis capitibus tradatur, breviter exponant. Secundò ſi quid ineſſe putaverimus, quod aut non ſatis enucleatum, aut de quo amplius quærendum ſit (εἷς ἀνὴρ enim, quemadmodũ dicitur, ὁ πάνθ' ἑρᾷ, ac ſæpè rem unam indigere adminiculis multorum, cotidiè ipſi experimur) in iis ſtudi-

um diligentiæ nostræ, ut confido, præstabitur. Tertio precium operæ est docere, quemadmodum menda, quæ irrepsêre vel incuria librariorum, vel injuria illorum temporum, quibus libellus iste non tàm neglectus sua lingua, quàm potius conclamatus jacuit, ab hominum aspectu luceq; remotus, de collectaneis & fragmentis Oribasii corrigi queant. Si qua defuerint, posteriorum anatomiæ professorum accuratione primùm inventa atq; eruta, ea adjiciemus, ne aliqua sui parte truncatus sceletus sibi minus constet. In quibus ipsis non exquisitè aut subtiliter nimis versabimur. Nam hîc quoque, quemadmodum Columella de sui ruris disciplina pronunciat, neq; debent neq; fortè etiam cum magno emolumento possunt, quasi ad normam universa exigi, sicut in operibus fabricæ & officinæ facere homines consueverunt: neq; τὸ ἀκριβὲς, hoc est, limatum, accuratumq; in omnibus disputationibus pariter requiritur. Est ubi popularis doctrina, qua res tractatur παχυλῶς, & crassiore Musa, plus proficiat, captibus discentium magis accommodata. Cum vero ossium in Galeno descriptiones, satis populares quidem illæ, sed adeo luculentæ, ut nihil quicquam desiderare, nedum ab ipsis ad aliorum appellare possis, vix ac ne vix quidem ἀνεὺ ἀυτοψίας intelligantur: omninò etiam hac in parte consuli oportebit studio audientium, ac

cum

cum compactos Sceletos, tum ossa singula in medium proferri, quo lecta & audita, jam in theatrum deductis conspicua fiant. Quæ omnia, si nulla alia re, at certè industria & assiduitate declarari, quàm verbis prædicari malo.

DIXI.

SEQVVNTVR

THEMATA MEDICA,

PVBLICE VITAEBERGAE DISPVTATA.

DE MORBIS MESENTERII, ET EIVS QVOD πάγκρεας appellatur.

I.

Corpus universum in tres communes et publicas regiones distribuitur, quarum unaquæque propriis circumscripta limitibus, non modò superfluentium humorum conceptacula, sed & vias traducendis iis atq; exhauriendis idoneas, adepta est.

II.

Earum prima è gula in medium Jecoris, ad usq; confinia propaginum portæ & cavæ dirigitur: Altera inde excurrit in tenues partium singularum venas & arterias: Tertia ab harum ingressu in partes exorsa, profertur in summam extimamq; cutim. Referri autem ad singulas oportet, quicquid cohærentium partium inter initia & fines earum inciderit.

III.

At enim nulla in his regionibus tanto scatet illuviei proventu, autore morborum omnis gene-

generis, quanto prima, quæ impurum alimentũ accipit, ideo capacitatem membrorum, quæ longa ſerie complectitur, aliquantò maiorem adepta.

IIII.

Ac ut de Meſenterio & Pancreate tantum agamus in præsentia (quarum partium affectus, ſi ab una inflamatione disceſſeris, veterum ſcriptis celebrati non ſunt, idq; eò haud dubiè, quòd penitiùs abſtruſæ eſſent, & ipſi in ſecandis hominum corporibus timidiores) quotiescunq; maior eſt ſupervacuorum humorum colluvies, quàm cui excipiendæ continendæq; deſtinata receptacula ſatis ſint: aliqua atque adeò magna illius portio in Meſenterium & πάγκρεας, tanquam in corporis ſentinam, κατ' ἐπιῤῥοὴν ἢ ἀπόσκηψιν per venas eò debiſcentes atq; oblitteratas, derivatur, quæ aſſidua inglu-vie ſupra modum dein exaggeratur.

V.

Quòd enim Meſenterium duplici membrana præcinctum eſt, & membra ambo pluribus conſperſa venis, & adenoſa ac natura imbecilla, adhæc Jecori & lieni ſubjecta, ideoq; prona fluxionibus: ſuperflua viſcerum, hoc eſt, utriusque bilis, pituitæ, aquoſi & tenuis humoris proventum, quacunq; de cauſſa is ſubſtiterit, mittentium partium robore impulſum, & in proclive devolutum, admodum promtè admittunt, præſertim adenes, quorum caro σπογγωδεστέρα eſt & bibula.

VI.

Huc ergo relegantur & abjiciuntur è ventriculo, jecore & liene, nonnunquam & è toto corpore humores superflui, & nova subinde alluvie coacervantur, non prorsus nullo partium suscipientium vitio: qui vel naturæ impetu commoti, & ultro citroq; susq; deq; conciti, pro varia inclinatione modò crebris vomitibus sursum egeruntur, modò per secessum infernè prodigiosa copia profluunt, non rarò κ̃ τ̃ ϖϵιόδȣς & statutis temporibus: vel si coërciti fuerint, & calore circumventi præternaturali, putrent, & febres accendunt vagas & erraticas, cognituq; perquàm difficiles: Aliàs obstruunt glandulas & vasa illarum partium, & καχεξίαν, μελαγχολίαν, ἀτροφίαν & languorem pariunt: nonnunquam eadem loca in ὄγκον sive tumorem attollunt, laxum primùm mollemq; illum, processu temporis verò humoribus sensim siccescentibus, adeò durum tactuiq; renitentem, ut in partibus ad umbilicum & imum ventrem attinentibus, vel os vel calculum concrevisse putes.

VII.

Tumor, ut partes ipsæ, doloris expers est, aut perobscuro affligit, tactu maximè pressuq; firmo & valido exploratur, cum altè sepultus sit, & viscerum incubitu intestinorumq; mæandris atque involucris obrutus: cumq; intestina mole sua urgeat arctetq; sæpenumerò caussam

præbet

præbet pigrioris alvi, præpedito excrementorum transitu: non rarò vel potius nimium sæpe etiam lotium remoratur, compresso vesicæ orificio.

VIII.

Secus habent tumor insertus musculis abdominis, & venter adipis mole exstans protuberansq́. Neuter enim intestina coarctat, aut alvum moratur. Ac tumor quidem musculorum foras prominens, primo contactui occurrit, dolore manifestus, figuraq́. sui musculi, quem occupat, circumscriptus. Arvina ventris, cum summæ cuti obhærescat, manu præhendi ac distingui ab abdominis musculis potest.

IX.

Quòd si farctu & obstructione impeditum epar fuerit, aut expultrix eius languerit: adhæc magna sit vasorum τȣ̃ μεσαραίȣ laxitas, & invalida renum attractrix, iterq́. seri penitus interclusum: ὑγρότης λεπτὴ & ὑδαλώδης, qua sanguis plenus est, maxima sui parte in hanc sentinam redundabit, & affluxu continuo ac diutino adaucta, nunc in abdominis spacium, modo ad intermedias Mesenterii membranas, nescio quibus cuniculis inusitatam viam sibi molietur, & illic quidem Asciten, hîc autẽ seu ὑδερικὴν ἀφίδρυσιν, seu (si ita appellare liceat) ὑδερὸν ἢ ὑδρωπιῶδες τȣ̃ μεσαραίȣ ingenerabit.

X.

Humorum in hisce sedibus hospitantium no-

tæ sunt, tùm aliæ, quibus viscerum superflua cognoscuntur: tum morbi inde suppullulantes, & hos comitata symptomata: & inprimis verò τὰ ἐκκρινόμενα, hoc est, è corpore defluentia atque excidentia, quæ cùm humorum portiones sint, eorum etiam, in quibus hæserunt, naturam, quodamtenus retinent, eamq; posteaquam foras excidêre, nobis repræsentant.

XI.

Cæterum tanta in his notis inest obscuritas, ut εὐροχίαν medentis facilè eludere queat: propter quam credibile est, veteribus indictos atq; incognitos fuisse affectus τῶν παγκρέατος & μεσαραίου: etsi in his tanquam in sentina corporis universi, gravissimorum morborum, ut Choleræ, Melancholiæ flatulentæ, fluxionis alvi, mali habitus, atrophiæ, languoris, lentarum & errantium febrium, & hoc genus aliarum diutinarum, ac difficilis notæ ægritudinum fomitem delitescere, consentaneum est, præsertim in iis, qui natura non sunt εὔσπλαγχνοι, hoc est, minus firmis atq; integris visceribus.

XII.

A mesenterio minimè aliena videntur esse seu vermina, seu tormina, pervicacia admodum illa atque obstinata, (τρόφους Hippocrates nominat) quæ à flatibus per inania mesenterii errantibus oboriuntur.

XIII.

Adhæc dolores lumborum. Nam ὀσφύος

nomine

nomine veniunt, quæcunq; intra quinq; lumborum vertebras sita sunt, ut musculi, tam interni, quàm externi, renes ambo, intestina colon & cæcum, vasa: denique membranæ mesenterii, quibus, ut & aliis vinculis nervaceis, prædicta membra cùm sibi invicem, tùm spinæ, quæ illic est, pertinaciter astringuntur.

XIIII.

Neq; enim solum ventriculi jecorisq; atque intestiniorum, sed & mesenterii frigida intemperies ἐκλυκὴ ἢ καθ' ἕξιν, *flatuum author est, diritate quadam atq; immanitate loca illa continenter distorquentium: ea quoniam neque purgantibus medicamentis, neq; præsidiis aliis cedit, tandem in aquam intercutem siccam (qui* τυμπανίας *est) offirmari solet, teste Hippocrate in Coacis, & 4. aphoris. undecimo.*

XV.

Inflamatio etiam vera in Mesenterium incidere solet, quemadmodum in glandosas partes cæteras, sanguine seu naturæ impetu eò compulso, sive ab exesis ruptísve venis Mesaraicis restagnante: qui cum à natura corporis, in quo continetur, alienus sit, suiq; caloris regimine destitutus, atque adeò expositus injuriis ἀλλοτρίας θερμότητος, *nec jam ampliùs liberè perflabilis, putrescere, tandemq; suppurans abscessum facere solet.*

XVI.

Inflamationem testantur intus quidem gravitatis

vitatis ſenſus, dolor adeò obſcurus, ut niſi vehementiore compreſſu vix percipias: febris adeſt mitis & lenta, nullis comitata gravioribus ſymptomatis, ſub qua vitæ etiam obire munia ægro liceat.

XVII.

Incipiente morbo, ferè nullo ſenſu doloris ab alvo defluit αἷμα ἰχωροειδὲς vel λεπτὸς ἰχὼρ: orto dein abſceſſu, eoq; maturato, παχύτερος & πυωδέστερος, eructatus in alvum per illas venas, quæ ad inteſtinorum capacitatem ἀναστομοῦν): qui effertur poſtea, modò ſeorſim & ſincerus, modò permixtus fecibus, quanquam rariùs, pro ut inflamatio inteſtinis inferioribus vel ſuperioribus, craſsis vel gracilibus propior fuerit.

XVIII.

Certiſsimum autem eſt, id genus puris in alvum à ſolo ferri oportere Meſenterio, quoniam ab aliis ſedibus deſcendere ſine dolore, ſine miſtione, vel febri vehementiore non poteſt.

XIX.

Si contingat pus, quacunq; de cauſſa coërcitum diutius fuerit, aliò quàm in alvum ruptæ vomica eructari, non reperiente natura aliquem meatum excretioni idoneum, quamdiu quidem coërcetur, affectionem parit hypochondriacæ aut levi colicæ ſimilem: ſimulac verò intrò eruperit, ſive in abdominis capacitatem, ſive in intermedium ſpacium membranarum

Meſen-

Mesenterii: calore, quem habuit residuum, expirante, fomitem concipit putredinis, ac simul ea loca, in quibus hæret, acredine sua exest, simul viscera ipsumq; Ventriculum corruptela sua polluit, symptomatibusq; periculosissimis affligit: siquidem materia, quæ prius ἡμιοπτὴς duntaxat & ἡμιμόχθηρος erat, adipiscitur jam τὸ ἀκριβὲς τ̃ μοχθηρίας, insito ipsi calore protrito atque pessundato.

CVRATIO.

XX.

Θεράπευσις horum morborum simili methodo iisdemq; auxiliis instituitur atq; expeditur, quibus in liene ac jecore: sed subter infusa tantò præstantiora sunt medicamentis per os assumtis: quantò malum propius novissima intestina descenderit. Topica quæ extrinsecus adhibentur, ab hypochondriis ad medium ventrem circa umbilicum transferri oportet.

XXI.

Hectica intemperies mesenterii, sive primaria sit, sive secundaria, quam diximus hydropem siccum anteire, ubi radicibus paullò altioribus defixa fuerit, desperata est, neq; ulla præsidiorum ope emendari, nedum omninò percurari potest.

XXII.

Quemadmodum enim exustum lignum, & in prunam redactum, tametsi ab igni remo-

tum

tum fuerit, conceptum calorem tuetur, nihilo q̃ secius etiamnum ardet: aut ut lanarum tinctura indelebilis est: non aliter quæ a γενεύς tractu q̃ temporis firmata alteratione, solidis partibus impressa est injuria, tolli penitus nequit: quando sub ea non modò mutatur, sed prorsus abalienatur proprium unius cuiusq̃ partis temperamentum, quod restitui postliminio nulla arte potest.

XXIII.

Detracta quidem materia, etiam flatus aliqua sui parte exhauriuntur, unde dolores nonnihil contingit mitescere: sed quoniam offirmata est ea intemperies, depulsa priore materia, subinde nova renascitur, doloresq̃ velut ruptis induciis suis recrudescunt, atque revertuntur reduces.

DE ARDORE STOMACHI NOMINE TENVS A VETERIBVS DESCRIPTO.

I.

Καρδίαν non tantum id viscus appellari, quod pulsat, sed et os ventriculi sinistrum, in quod debiscens gula implantatur, unum est τῶν ὁμολογουμένων.

II.

Cùm enim & situs vicinitatem, & commune quoddam vinculum habeant membra utraque, possunt inter sese mutuò alterum alteri

sua

ſua vitia tradere atque communicare.

III.

Hanc igitur ventriculi partem, Cor appellatam veteribus, & abuſivè ſtomachum, infeſtat præter alia ſymptomata fervor quidam ſatis moroſus & δύζφορος, quem Græci τὸ ςομάχου κᾶυσον vel κάυσονα, & ἔγκαυσιν, & πύρωσιν, Scribonius ἄτνον (pro quo Marcellus ἔκκαυσιν legit:) Ab hoc divexatos verò ἐγκαιομένους τ ςόμαχον & καρδιακαιομένους, aliquando ſimpliciter ſineq; adjecto καυσομένους καὶ πυρομένους nominare ſolent.

IIII.

Primordium ducit hoc mali genus ferè à fervidis & biliosis humoribus, aliàs flavis, aliàs porraceis, aliàs æruginoſis, ſive de vitioſis maliq; ſucci eduliis in ventriculo à prava eius temperie genitis, ſive alicundè in ſpacium eius regurgitatis: qui quacunq; de cauſſa cohibiti diutiùs fuerint, caloris ſuperventu velut excandeſcentes ebulliunt atq; effervescunt.

V.

In ea ζέσι, quod in humore tenuius est & magis aëreum, ſui levitate per œſophagum, tanquam viam prætoriam, in fauces hiante ore ventriculi ſublatum eas exurit: craſſior pars peſſum it, ac pondere degravata ſuo ſidit præceps, flamaq; quam concepit, ſubter agens, ventriculi fundum, & ex hoc explantata mirabiliq; ſerie atq; revolutione detexta inteſtina plerunq; urget.

Cùm

VI.

Cùm enim partes hæ continuæ sint, una eademq; tunica interiùs succinctæ: adhæc humor ipse ἀνομοιομερὴς ac motu præditus dissimili: equidem mirum non est, si infra supraq; partes ardore suo perstrinxerit.

VII.

Solet autem hic æstus pro sui fomitis, à quo sustinetur, conditione, aliàs durare diutiùs, aliàs citiùs restingui, & ignis more nutrimento defecti suo velut tabescere. Nam in ventriculo concepta materia modò parcior est, modò uberior, tenuior aut crassior, aliàs plùs, aliàs minùs lentoris habens, ideoq; in alveo ventriculi vel natans fluctuansq;, vel parietibus eius hærens pressiùs, ac plerunq; pertinaciùs impacta.

VIII.

Produnt æstum stomachi siccitas ingens, molesta sitis, ructus nidorosi, veluti frictorum ovorum, dolor ἀσώδης, id est, inquietudo maxima, ventriculi ἀπνία, ἔκλυσις, dejecta appetentia, & morsicatio, (sub qua, tanquam sub genere, ἔγκαυσιν τοῦ στόμαχου complectimur:) non rarò λιποθυμία accidit, præsertim ab esu acrium esculentorum vel aromatum, aut bilis in ventriculum ex partibus finitimis restagnatione.

IX.

Ad horum signorum συμπτωματικὼν sive σωματικὼν παθογνωμονικὼν de Galeni consilio confugimus,

mus, & multa arceßimus, quotiescunq; unum aliquod reperire non est, quod ἀχώριςον sit, & τῷ εἴδει affectionis describendo satis.

X.

Ad hoc malum proclives sunt, & præcæteris ἐπιτηδειότεροι, quibus seu natura, seu ex antegressa febri, præcordia caluerint impensiùs: quibus biliosa scatet illuvie ventriculus, ἢ κατ' κρᾶσιν μοχθηρὰν, ἢ κακοσκευῆς ἰδιότητα: & qui valde delectantur pinguibus & opimis, aut cum rancido lardo vel butyro confectis, aut frictis in sartagine, & ea in fine pastus assumunt: deniq; qui cibi mole onusto ventriculo motibus inordinatis atq; intempestivis exercitiis nimiopere fatigantur.

CVRATIO.

XI.

Curatio consistit in ἀναιρέσει & exstirpatione affectum foventis caussæ, quæ contrariis absolvitur.

XII.

Conferunt igitur χαλιναγωγοῦντα, hoc est, bilis ζέσιν & excandescentiam coërcentia, acrimoniam obtundentia, craßitiem attenuantia, lentorem incidentia & abstergentia.

XIII.

In vitiati humoris eductione respiciendum est, cùm ad materiæ peccantis inclinationem, tùm ad naturæ motum & impetum, pro humo-

vis excrementitii conditione modò ἀνάῤῥοπον modò κατάῤῥοπον.

XIIII.

Cumq; duo sint ostia ventriculi, unum in gula ad sinistram amplius, alterum ubi πυλωρὸς est, paullum in dexteriorem partem conversum priore strictius: ad utrumvis eorum vergat id quod offendit, illo natura ad expulsionem utitur.

XV.

Conatum naturæ arte oportet juvari, materiamq; deduci per loca conferentia, hoc est, per corporis emissaria & effluvia, repurgamentis vias idoneas habentia.

XVI.

Peracta humoris evacuatione emendanda est ventriculi intemperies refrigerantibus & humectantibus, ac simul communiendum oscullum eius sinistrum iis, quæ δυνάμει sunt συστικώτερα. Oportet enim Galeno teste ὀπιπραλεῖν τὴν συστικὴν ποιότητα ἐν τοῖς σομαχικοῖς φαρμάκοις, ut novæ materiæ confluxus velut præclusis ab astrictione viis intercipiatur.

XVII.

Inter εὑπόριστα numeratur Creta, res immensi apud vulgus secreti, nescio cuius ingenio inventi, quove casu reperti: eam seu a nitore, seu ab usu exterendi argentum Plinius nominare videtur argentariam: Dioscorides inter alia Agallochum commendat.

Foris

XVIII.

Foris τῷ σώματι τ κοιλίας, quod & πρόκαρδιον dicitur, ubi est depressior lacuna illa cordis scrobiculus appellata, proximè subter mucronatam cartilaginem, ea Galenus applicat, quæ nonnulli è priscis Medicis, haud scio quàm rectè, μαλάγματα nominarunt, in quibus locum habere debet ἡ τ συφόντων παραστολή.

XIX.

Omninò horum externorum præsidiorum summa cautio est atq; una provisio, ut ne nimis diu insideant loco, cui sunt impacta, ne forte ex transpiratione prohibita calor auctior malum foveat protrahátve. Expedit igitur, ut inducta semel atq; iterum ac sæpius permutentur.

DE SINGVLTV.

I.

Singultus quem λύγξα & λυγμὸν Græci appellant, violentus & convulsioni ἀνάλογος motus est ventriculi, qui, ut primùm à re corpori aut ori infesta atq; inimica suo offensus fuerit, ἀποκριτικὴν δύναμιν incitat, quæ actutùm insurgit, et ut validiore succussu nocuum quod est, extundat, vel quoquo modo abs se amoliatur, fibrarum textu velut accincta, ventriculi tunicas dilatat, easdem mox quasi collectis viribus, staminibusq; districtis contrahit: quo quidem motu gemino aliàs natura cum dolore

& defatigatione ingenti frustratur atque eluditur, aliàs rem infestam è tunicis expressam, sursum elidit, quodam veluti crepitu ac sono, angustioris loci, per quem transit, naturam referente.

II.

Etsi autem eiusdem cum vomitu generis est singultus: vehementior tamen est, multoq; intensior, quippe quo ventriculus non ea, quæ in εὐρυχωρίᾳ, *seu capacitate ampliore fluitant, sed corpori altiùs impacta suo, tunicarumq; recessibus infercta & penitus absorpta, operosiore annixu identidem, & per intervalla, satagat excutere, etsi contra visum est Avicennæ.*

III.

Huius caussæ secundum Hippocratem eædem sunt quæ Spasmi, nempè ἄμετρος πλησμονὴ *sive* πλήρωσις *&* κένωσις, *Repletio, & Inanitio: in quas conjici posse videntur caussæ cæteræ, ex quibus multæ sunt, quæ utroq; pertinent, velut* ἐπαμφοτερίζουσαι, *ut non sit necesse addere singultum non proportionatum ad materiam.*

IIII.

Κενώσεως *nomine siccitatem notat Galenus, qualis est, quæ citam alvum, largam sanguinis undecunque fluentis profusionem, vomitiones,* ὑπερκάθαρσιν, *excubias immodicas & inediam, largos sudores, motiones tùm multas tùm vehementes sequitur, quæque nonnunquam per acutos incidit morbos, & per febres* καυσωδεσα-

δεσπότε καὶ ξηροπάτας, & σωτήκλικας, maximeq; pestilentiales: quibus omnibus vis adfertur τῇ οἰκείᾳ ἰκμάδι, eaq; vel funditùs, vel maiore sui parte absumitur atq; exhauritur.

V.

Ad inanitionem referri posse videntur, quæcunque extrinsecus comprimunt ventriculum, ceu sunt τὸ μέγεθος τ̃ φλεγμονῆς in epate, uti quidam Galeni ætate voluêre, & costæ alicuius contorsio. Deprehensum enim est, singultiisse quosdam ex intorta, nulloq; doloris sensu ventriculum versus obliquata costa, nec nisi molliter erecta eadem, liberari potuisse. Cuiusmodi quidem compressio, cum coarctando elidat humores & spiritus, ἄδησιν parit inanitioni non dissimilem.

VI.

Per πλήρωσιν intelligimus non tantum humiditatem quamcunq;, sive ea ventriculi corpus perfundat, sive solum aggravet, aut sua etiam aliqua vitiosa & à natura aliena qualitate mordicùs infestet: sed & frigidum aërem, flatus, præcipuè verò malignum vaporem, prolatum de sordidioris putredinis foco, aut visceruin, aliarumq; consentientium partium inflamatione, qui simulac effusus in ventriculum, & ab eius tunicis combibitus fuerit, multò deteriorem, quàm quivis humor acris, serosus & medicatus stomachum mordens, singultum infligit, etsi minùs diuturnum, minusq; ob-

ſtinatum, ſiquidem vapores, ut promptiùs & faciliùs penetrant, ita diſſipari profligariq; citius ſolent.

VII.

Num præterea maligna, nobisq; totius ſubſtantiæ diſſidio infenſa qualitas ad ſtomachum meet, ſingultumq; ciat per ſe ipſa, & ſolitaria, ἀνεὺ ὀσίας ὑγρᾶς ἢ πνευματικῆς, *id verò eſt, de quo quæri poſſit, atq; etiam debeat: etſi quemadmodum ſine ſubjecto tanquam vehiculo, propagetur illa, demonſtratu perdifficile eſt, ac fortaſſe* ἀδύνατον, *cum neq; frigiditas, quæ ſingultum provocat, abſq; aëre ſubeat, neq; piperis qualitas, niſi ſuperbibito vino, intrò adigatur.*

VIII.

Ab his ergo cauſſis quotiescunq; irritatur oſculum ventriculi, nervorum in id expromptorum propagines laceſſitæ & ipſæ, ad ſuam originem recurrunt, declinaturæ periculum quod præ foribus eſt. Etenim hoc inſitum eſt partibus univerſis & ſingulis, ut cum laborant, quærendi ſubſidii cauſſa ad principium ſuum confugiant.

IX.

Fit ſingultus aliàs per ἰδιοπάθειαν *laborante ventriculo, aliàs per* συμπάθειαν, *hoc eſt, ex aliarum partium conſenſu, à quibus* κατ' λῆψιν ἢ μετάληψιν, *mali fomitem haurit: nonnunquã etiam totius corporis communicatione, ſicut in*

Criſi,

Crisi, vel ante ipsam contingit, cuiusmodi singultus ferè ὠδόδρομος esse solet vomitus aut profluvii ventris.

X.

Frequenter singultire contingit eos, quibus stomachus est debilior, & sensu exquisitiore præditus, ac nervi, qui in osculum eius de cerebro promittuntur, nudi, injuriisq; expositi: adhæc qui crapulæ sunt dediti, ut helluones, & suo natos abdomini, potissimum vero omniumq; frequentissimè infantes & pueros, tùm ob ἀδηφαγίαν, tùm ob corruptionem alimenti in ventre, tùm ob partis frigiditatem.

CVRATIO.

XI.

Singultus etsi è symptomatum genere est, quæ nullam de se peculiarem indicationem præbent, quod summoto morbo vanescant protinus, neq; usquam subsistant in corpore: quia tamen adeò gravis nonnunquam est, atq; infensus, ut nisi protinùs occurreris, metus sit, aut vires ægri fractum, ipsumq; adeo violentia ac pernicie eius jugulatum, aut affectum alium periculosiorem genitum iri, rationem curandi interpellat, solicitudinemq; Medici ad se convertit.

XII.

Curandi modus pro caussarum ratione varius est. In inanitione, quamvis res desperata

videatur, conveniunt ex humectantium genere τροφιμώτατα καὶ εὐπεπτότατα, quæ defectum explent, & vires ἀθρόως reficiunt, ceu sunt: ova tremula, lac utprimùm emulsum est, aut ab ubere suctum, jura colatitia, expressa, tortiva, gelatina seu coacta juscula, liquidiora destillata instauratitia, quæ ad ἡδέα καὶ ὠφέλιμα πόματα Pauli referri possunt, & si qua alia suggerit ἀγωγὴ ἀναληπτικὴ, quibus infrigidantia misceri oportet, siquidem calor adfuerit.

XIII.

Si à materia fiat singultus, evacuatione sursum deorsúmve procurata sedabitur, sed non sine prævio apparatu: crassa enim extenuanda est, viscida secanda atq; incidenda, acris & rodens contemperanda, quæ combibita ac infercta est obstinatiùs, detergenda, ut medicamẽto purganti obsequatur. Inter καθάρτικα à Græcis summopere laudantur Hiera & Aloë.

XIIII.

Quæcunq; autem exhibentur, ea Avicennæ consilio atq; præscripto vel cum saccharo devorentur, vel cum melle in formam redacta electuarii transglutiantur. Ita nanq; diutius adhærescunt, seseq; mora illa, iis quæ infercta sunt, penitiùs insinuare, atq; evellere secum eadem possunt.

XV.

A singultu absolvunt secundum Eryximachum

chum apud Platonem in convivio auxilia sequentia, quæ etiam ab Athenæo δεπνοσοφιστῶν quinto recensentur: ἀπνευσία, (quæ Galeno κατάληψις, Paulo κατοχὴ est τȣ̃ πνεύματος) ἀναγκυλιασμος τȣ̃ ὕδατος, & θερμὸς, hoc est, spiritus cohibitio, gargarizatus cum frigida, & sternutamentum, quod cit narium vellicatio. Primum flatus, aeremq; frigidiorem affatim haustum digerit: alterum tum hoc præstat, contracto ad interiora calore, tùm sensum obtundit: postremum simul flatus exhaurit, simul humores conclusos atque infixos stomacho ope musculorum abdominis explodit.

XVI.

Præterea flatibus medentur discutientia, inter quæ anethum & anisum peculiari dote juvant, cùm intrò sumpta, tùm foris, sive fotus sive illitus ritu, tempore admota, fascia, quæ ventrem astringat, superdata. Perfrigerationi stomachi debentur calfacientia, non tàm astringendi, quàm rarefaciendi vi prædita, ne materiæ transpiratus impediatur.

XVII.

Vacuato corpore haud alienum fuerit artubus vincula injicere dolorifica, eosdem defricare, cum vel sine aspergine aut θερμολȣσία, manus in calidam aquam immergere: adhæc stomacho adhibere externa præsidia, quibus ammisceri oportet, quæcunq; astringendo corroborant.

XVIII.

Vti convenit & cucurbitulis cum luculenta flama, quæ non solum pectori & ventriculo, sed dorso etiam, ea in parte, ubi stomachus vel inseritur in ventriculum, vel vertebrarum affirmatur corporibus, sine incisione affigendæ sunt, raptibusq; lenissimis subinde detrahendæ.

XIX.

Quòd si ne his quidem singultus cesserit, aliqui iisdem locis Φοινιγμοὺς *accommodant: Alii, præsertim in penè deploratis, ad* καρκώλικα *deveniunt, quæ inducto stupore partis sensum obtundant, torpidioremq; reddant: & in caussa quidem frigida recentem theriacam, sed jam fermentatam, aut Philonium Romanum exhibent: in calida verò & acri ac mordente, Requiei antidotum, aut pastillum rubeum, ab Italis rubeam trochiscatam appellatum, aut syrupum papaveris: cui rei & supradictus* ἀνακογχυλιασμὸς *ex frigida, sed identidem repetitus, deserviet.*

DE LACRIMIS.

I.

LAcryma quasi dacryma dicitur Livio Andronico, voce de Græca ducta, haud scio quàm rectè. Alii derivant à laceratione, ut sit quasi lacerima lacrima: estq; de genere τῶν διπολογουμένων. Δάκρυον autem Grammaticorũ sena-

ſenatus eſſe vult, ἀπὸ τȣ̃ σὺν δάκνειν: *vel, ut Phaborino placet*, παρὰ τὸ δάκνειν, ὅτι δακνομένης τȣ̃ ψυχῆς ἐξέρχε῾, *quòd cum morſu, & quaſi punctione quadam animi, id eſt, dolore manet: etſi profluere etiam gaudio ſolet.*

II.

Plato in Timæo, cuius altera eſt inſcriptio περὶ φύσεως, *lacrimam ita finit, quòd ſit* νέον φλέγμα καὶ ξωιϛαμένȣ ὀρρός. *Empedocli ſtatuitur eſſe* αἷμα τηκόμενον, καὶ περὶ τὸ λεπτȣ̃ διαχεόμενον, *authore libri, qui inſcribitur de hiſtoria philoſophica, & Galeno aſſcribitur. Plutarchus reformidans nomen* τήξεως, *à quo neq; Theophraſtum ſibi temperaſſe accipimus, in libello* περὶ αἰτίων φυσικῶν *affirmat,* τὸ δάκρυον, ὥσπερ χάλαζα ὀρρὸν ἐκκρȣόεντος, τȣ̃ αἵματος παραχθέν. *In eo igitur omnibus convenit, quòd lacrima ſit* ὀρρῶδες ἢ ὑδαρῶδες.

III.

Nos, ne in patrios cineres videamur mingere velle, priſcam illam veterum diligentiam, quæ ſe temporum æquitate ſuſtentat, notandam aliis relinquimus, itaq; lacrimam deſcribimus in præſentia.

Lacrima eſt ἰχὼρ, *qui unà cum ſanguine ad cerebrum diditur: cumq; ob naturæ ſuæ tenuitatem non ſit nutriendo, ab* οἰκείᾳ τροφῇ *cerebri, velut à lacte ſerum, ſecretus, perq; rariorem eius ſubſtantiam quaſi colatus, in tertium ventriculum confluit: mox aſſiduo ſurſum*

ſum exæſtuantium expirationum turbine ac vi ſubinde adauctus, in pelvim indidem corrivatur: tandem vel à perturbatiore corde, vel alia quacunq; de cauſſa incitatus, per elices prorſum pertinentes carneo corpori maiori angulo incubanti, adigitur, hincq; per peculiaria ſpiramenta, quorum ſingula ſingulis palpebrarum crepidinibus, prope internos oculorum hirquos, ad ciliorum fines inciſa ſunt, foràs ſcaturiendo ſudoris more guttatim profunditur, muſculis faciei partiumq; finitimarum ſeſe vibrantibus, aliâs cum, aliâs ſine eiulatu, ſuſpiriis, gemitibus, atq; intercisa ac ceu ſubſingultiente, aut κλαυθμώδεϊ reſpiratione, anima, dum ultrò citroq; ducitur, ſubinde offenſante, voceq; in faucibus confracta, non etiam nunquam prorſus eliſa: non obſcurus index affectionum tàm animi, quàm corporis.

IIII.

Humor ipse Platoni Ariſtoteli & Theophraſto aut ſudor quidam eſt, aut ſudori germanus, ut & lotio: una ſiquidem eſt eademq; φύσις, ὕλη καὶ τόπος ψύσεως omnium, loci duntaxat emiſſaculorumq;, & excernendi ratione, tùm etiam cultu ſive elaboratione inter ſe diſtincta.

V.

Nam dum chyli cremor in epate tanquam foco ſuo fervet, & in benignitatem alimenti beneficio caloris, ingenitaq; viſceris proprietate ex-

te excoquitur, περιτώματα quædam residua manent: quorum unum flori in vino, alterum feci respondet: utrumq; à sanguine, puro corporis alimento, vi concoctricis secernitur atq; secedit, alterum quidem levius, magisq; aëreum, in folliculum reductæ jecinoris regioni subnexum: alterum gravius magisq; terrenum in lienem abstruditur, conceptaculum eliciendis sanguinis fecibus destinatum. Tertium confusum sanguini unà circumfertur, ut fibrarum copia crassum illum ac lentum diluat, perque gracilimas venas tanquam vehiculum commodiùs deducat in extrema corporis, ne ullius partis genius usufructu eius defraudetur.

VI.

Simulac verò postremum hoc munere vehendi suo perfunctum fuerit, partim per ea spiracula, quibus cutim natura passim pertudit, aliàs vaporis specie nullo sensu evolat, calore prius fusum extenuatumq;: aliàs sudoribus exhauritur: partim per peculiares illos & intestinos palpebrarum meatus diffluens, argumentum lacrimis præbet: partim deniq; ad renes defertur, percolatum inde à sanguine ac sequestratum vesicæ appellitur, ut mictu foràs profundi tandem queat.

VII.

Ex quo jam hoc consequitur, lacrimarum proventum non ab oculis esse, sed eò aliunde tanquam ad conferentia emissaria abjici. Excremen-

crementa quæ in oculis, & ab his de non confecto neq; absumto alimento confiunt, præparca sunt disparisq; substantiæ. Vnum quidem crassius in nares confluit: quod si oculi vitio congestum fuerit, angulis impactum foris obhærescit, ac ciliis sese lentore suo implicat, ἡμιπέπων τροφῆς πείπωμα, neq; tàm lacrima est, quàm λήμη, quamvis Suidas aliter finiat, quasi sit δάκρυον πεπηγός: Alterum liquidius est & aquosius, cuius madore cornea sive pellucens tunica subinde tersa purè nitet, & pomum oculi irrigatur πρὸς εὐκινησίαν, prorsus eius, seu λιπαρότητος, seu γλιχρότητος more, quam Galenus inter duas illas productiones reponit, quibus periostium à superciliorum labris ad tarsum usque abductum, per internam palpebram, intra orbitam oculi versus iridem sese replicat atque reflectit.

VIII.

Super scatebra lacrimarum divortia sunt apud authores atq; dissidia. Quidam contineri eas asserunt in medullaceo corpore cerebri, sinuosis passim involuto mæandris atq; implexibus: Alii in ipsis cavitatibus sive ventriculis: Quidam in oculorum meatibus: Nonnulli in venis, tàm iis quæ extra calvam sunt, & à Philistione pro more Doriensium ἀερὶ appellantur, quàm quæ intra eandem reconduntur, ad oculos & horum musculos tunicasq; pertinentes, ut alimentum iis impertiant.

Cassii

IX.

Cassii Iatrosophistæ, quisquis sanè ille fuerit, non fuisse autem classis inter Methodicos infimæ testantur eius problemata, licet ad plebis vulgiq; judicium, cognomen ipsi factum sit: eius igitur commentatio de lacrimarum fonte planè mirifica est. Nam 27 probl. ubi oculorũ percenset humores, ita infit: τοῦτο καταδήλον, ὅτι ὀφθαλμὸς ὑγρὰ ἐκκρίνει, τότε ὑαλῶδες, ἀφ' οὗ τὸ δάκρυον, καὶ τὸ κρυσταλλοειδὲς; & τὸ ὑαλοειδὲς.

X.

Huic quidem delibantur lacrimæ ab humore aqueo, quem, ab albuminis diverberati optimeq; confracti similitudine, ὑγρὸν ὠοειδὲς *appellarunt: quorsum alludere voluisse etiam* ἐτυμολογοῦντας τὸ κρόμυον *existimare quis possit, ideo sic dictum,* ὡς τῷ κρίνειν ποιεῖν συμμύειν, *quòd pupillam comprimendo lacrimas provocet.*

XI.

Verùm cùm necesse sit, maiore albuginei humoris parte imminuta exhaustáve, aciem cernendi non solùm præstringi, sed omnino etiam deperdi, nisi de probo corporis alimento instaurata fuerit, fidem illius rei penes authores relinquemus.

XII.

Atqui hæc de fonte lacrimarum universa videntur nobis asstrui paullò audacius. Maluimus igitur tertiam cerebri cavitatem materiæ

teriæ lacrimarum destinare, quæ non tàm venter est, quàm dejectus quidam inter duos priores ventriculos relictus, superstante fornice sive testudine, in cuius anteriorem humiliorem q̃ ductum, rectè habente se natura, humida purgamenta cerebri, tanquam in sentinam exonerata, confluunt, indeq̃ in pelvim & glandem, in sella ossis cunei ei subditam, instillantur.

XIII.

E sella utrinq̃ aliquot aperiuntur itinera, duo quidem retrò devia atq̃ declivia in palatum, totidem prorsum ad oculos, nempe per foramen trajectui secundæ conjugationis nervorum cerebri incisum, humilioreq̃ sui facie paullò minùs toto orbiculare: elatiore verò in acutum longumq̃ & angustum desinens angulum.

XIIII.

Per priora illa plurimum crassioris pituitæ palato sanè quàm promptè influit, unde postea facilè aliquid bipatentibus narium tramitibus, inclinato præsertim capite, aut instillari, aut operosiùs & maiore vi adigi potest, animæ nimirum impulsu, quæ à pulmonibus respiratur.

XV.

Eadem namq̃ pituitæ in nares è faucium summo via est, quæ spiritui patet remigranti è pulmonibus, cuius violentiore exsufflatione in-

ter

ter emungendum sternuendumq; illa exturbatur. Atque hoc certò constat, quoties pectus ex prono humorum in fauces procubitu periclitatur, revelli eos in nares per ἔρρινα posse: immò tàm frustilla esculentorum, quàm potum ἀθρόως elidi hàc nonnunquaus solere in iis, qui vomunt, aut intempestivè inter mandendum bibendumq; rident, loquuntur, sternuunt, aut ad tussim instigantur, grumo solidioris cibi in arteriam deerrante.

XVI.

Quò autem deductus ille pituitæ fieret commodiùs atq; securiùs, provida rerum & utilitatum omnium solersq; natura, tramites narium osse obduxit squammeo, & arcus in modum fornicato: in quos, qui prope nasum utrinq; adjacent meatus, intra capacitatem eius hiscentes, in hominibus penè ad perpendiculum, in animantibus, quibus utraq; genarum productior est, πρὸς ὀξυγώνιον incidunt, fidem faciente nobis αὐτοψία.

XVII.

Quantum porrò de pituita cerebri prorsum fertur ad oculos, id similiter, posteaquàm in oculi sedem per foramen secundi paris nervorum cerebri incidit, bifariam educitur. Nam quod crassius est graviusq;, vestigiò per infernam orbitæ oculorum rimulam rursum elabitur in quandam velut abyssum, inter os cunei & quartum maxillæ, ad palatũ naresq; utrin-

que desinentem, unde magis ad fauces, quàm ad nasum impellitur.

XVIII.

Quod λεπτότερον καὶ ὑδατωδέστερον, *ideoque ad quemvis impulsum sequacius est, id quocunque sanè modo, & quacunq; de caussa actum citúmve fuerit, in glandem anguli interni fertur, a cuius carne κατ' ἀφαπήδησιν ἢ διήθησιν sorbetur, mox in quendam eius sinum, peculiariter ad id subter insculptum, deponitur, materia proxima & immediata lacrimarum.*

XIX.

Sinus (quem communem inde cognominant, quòd gemina palpebrarum spiramenta in eum conveniant) statim sub glandosa caruncula in hominibus obvius est, quod notavit etiam Fallopius, & rectè id quidem. Non verò nullis animantibus idemmet intra os squammosum abstruditur, aliâs ἀπτόλης, *ut bobus: aliâs verò paullò inferius, ut cervis & apris, idq; pro capitum mensu habituq; differente, quæ anteriore parte in quibusdam animantibus brevia sunt atque contracta, aliis longiùs porrecta.*

XX.

Prius autem quàm spiramenta in sinum coalescant, aliquò usque distincta feruntur atque disclusa, in cervis quidem osseo diaphragmate, dentis instar exerto, summaq; sui parte, qua carunculam angulorum admittit, exasperato: in bobus verò apice πυραμοειδῶς *introrsum promi-*

prominente, ſimiliter aſpero: In apris medium os, quo ductus illi ante ſinum interſepiuntur, planius eſt magisq; depreſſum. Vidimus in aliquot calvis hominum vice dentis aut apicis prætenuem lamellam, extra quartum os genæ ſuperioris audentius procurrere, commodioris ſeu diremtus, ſeu deductus ſpiramentorum gratia.

XXI.

Tunica, qua ductus illi in oſſe ubiq; ſuccincti ſunt, ſatis craſſa eſt, at minus denſa, minusq; ſtipata, ſed paſſim & præcipuè verò in itinere, quo ad ſinum pergunt, & in hoc, impreſſionibus quibusdam obſita, per cuius textum liquidior cerebri humiditas, certè multò promptiùs è glande colari poteſt, quàm per denſiſſimum cordis ſeptum ſanguis è dextro in ſiniſtrum ſpecu exſudare, ſi modò is non potiùs è venæ arterialis propaginibus, ſaturatis jam inde pulmonibus, in ſurculos arteriæ venoſæ per ἀναστόμωσιν transſumtus, in ſiniſtrum thalamum cordis defertur: Quo de nunc quidem litem facere noſtram non volumus, neque hoc ad noſtrum inſtitutum pertinet.

XXII.

Etſi autem impreſſiones eas interim poros nominare non licet, cùm obſcurum ſit, quò usque tendant, & an tunicam permeent: medicamentorum tamen, quæ oculis injiciuntur, aut duntaxat illinuntur, ſaporem non ita multò

post in ore percipimus. Rursum quoties clauso ore, nasoq; digitis compresso, expirare enixè cupimus, oculos ab incidente pulvere festucísve repurgaturi, glans ingenuè gliscit atque intumescit ab adacto in carnem & membranam eius aëre.

XXIII.

Quid? quod ipse ille aër, & unà cum eo aliquid appulsi humoris illac prorumpere sæpenumerò sentitur: quæ quidem res multò testatior est, quàm ut prolixioris probationis indigeat: ita luculenter laxa, tamq; rari textus est, non modò caro glandis, sed & membrana, qua facies eius anterior præcingitur, oculo palpebrisq; communis.

XXIIII.

Certè enim Natura passim in corporibus ope caloris & spiritus novos insolentesq; aditus sibi ipsa molitur, ac velut cuniculos agit ad invia quæq; & inaccessa, aut minùs expedita itinera usq; eò amplificat, ut multa eorum, quæ neq; ex sese, neq; ex solo corporis momento atq; impulsu transire queunt, liberè permeent.

XXV.

Verùm enimvero cavitates & spiracula omnis generis in viventibus semper magis obvia sunt sensibus, quàm in cadaveribus, in quibus ob discessum caloris refrigerata corpora, imprimisq; coriacea, in sese coguntur, & pori ipsorum obliterantur.

Hæc

XXVI.

Hæc ita sese habere nobis quidem in tanta cadaverum paucitate perceptum hactenus est: verum in medium haudquaquam ideo prolata sunt, ut insectando sugillaremus, quæ à dexterrimo & oculatissimo anatomico Fallopio benè observata sunt, & in hominum luce posita: sed ea potiùs, sicubi manca quodammodo atque imperfecta, neq; ad intelligendum lacrimarũ naturam, vel earundem derivationes satis esse videntur, addendis nostris suppleremus, adeoq; cotis fungentes vice, nostrorum hominum studia atque industriam in inquirendo excitaremus atque acueremus. De quibus ὡς κτ' λόγον ἐκβολεύ ἶνα satis.

XXVII.

In communem igitur sinum tanquam in cisternam ros cerebri compulsus, & aliunde incitatus, per meatuum in singulis palpebris cælatorum oscula foràs punctim hiscentia, & tàm in morte consumtis, quàm viventibus conspicua, guttatim exstillat, aquæ consimilis pelluciditate atque consistentia.

XXVIII.

Humores aliunde quàm hàc erumpentes oculumq; perfundentes, non tàm lacrimæ dicendi sunt, quàm ὕγρανσις quædam vel ὑγρασία, quemadmodum alimenti reliquiæ, quæ passim è corpore, sed citra violentũ motum emanant, verius ἵδρωσις, hoc est, mador, quàm ἱδρὼς appellantur.

XXIX.

Ab hoc diversum statuit Realdus, qui quaternis illis glandulis, quas de sententia Galeni, sed contra observationes Anatomicorum posteriorum, intra orbitas oculorum infra supraq; ad rigandum eos reponit, lacrimas acceptas fert, è quibus postea mœrore aliáve caussa constrictis scaturiant.

XXX.

E sinu oblongior tubulus ductu continuo descendit in nares, transverso earum tramiti in nobis rectà, in brutis μακροουγχοτέρους *obliquè, ut dictum est, incidens: per quem quicquid in lacrimas non absumitur, & ipsi sinui oneri est, exhauriri solet. Repræsentat is, unà cum duobus spiramentis, elixatæ genæ exemptus, literam Pythagoræ, aut furcam, qua stramenta feruntur.*

XXXI.

Sæpius hactenus commemorata spiramenta Galeno nequaquam præterita sunt, quemadmodum nec illorum usus, licet nomen eius ab omnibus, quotquot nobis quidem pellegere contigit, hactenus fuerit suppressum. Nam in 10. περὶ χρείας *cap. 11, meminit* λεπτῶν πάνυ τρημάτων κατ' αὐτὰ τὰ βλέφαρα, *paullò extra maiorem angulum occurrentium, & ad nasum usq; desinentium: quibus id muneris concreditum sit, ut tenuem humorem accipiant, dentq; vicissim. Dent quidem, quoties redundat, at cùm deficit,*

deficit, accipiant, quò sarta tecta servetur tam palpebrarum, quàm oculorum ἡ κατὰ φύσιν συμμετρία, ad agilitatem motuum.

XXXII.

Eadem a Basilio & Phaborino πόροι ἢ ὀχετοὶ κατὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς, nobis a deferendi provincia alibi πόροι δακρυοφόροι, vulgo chirurgorum recentium lacrimalia appellata fuêre. Ipsi hirqui verò propter nasum & radicem earum siti, ῥαντῆρες ab humoris inspersu, & πηγαὶ lacrimarum fontes: hirquorum radices Polluci ἐγκανθίδες ἢ ἀπικανθίδες nominantur.

XXXIII.

Etsi autem neque capacitas hirquorum, quibus laxa & bibula glans insidet, neq; restagnantis eò humoris demensum tantum est, ut diu queat sufficere: unde Rhetor Apollonius nequaquam inscitè, neq; ἄνευ λόγου dicere solitus fuit: nihil citius arescere lacrima, præsertim in alienis malis: ne tamen commeatus ad uberes continenterq; scatentes lacrimas unquam desit, non solum materiam suppeditat cerebrum, in multis natura sua, & statim a vitæ primordio πλαδαρώτερον, atq; ichore prægnans gravidumq;, sed & venæ, quibus cerebrum tanquam siphonibus consperſum est, aliquid subinde expuunt atque eructant: immò vasorum genus universum, & culina totius corporis, undiq; de suo aliquid, atque adeò multum conferre & impendere solent

XXXIIII.

Equidem trunco corporis caput velut tectum quoddam fumosæ domui superpositum est, quod secundùm Hippocratem cucurbitæ ritu ab infernis libat sorbetq; omnis generis fuliginosa & vaporosa recrementa, quæ inter concoquendum vi caloris eduntur: ea illisa cerebro, indidemq; repercussa, perinde in aquam frigore eius addensari contingit, atque terrarum expirationes in imbrem, aut halitus in turbine ac meta destillatitia in guttas roscidas concrescunt.

XXXV.

Nimirum hinc & non aliunde deduci posse videntur in gurgitibus atque gulonibus, suo mancipatis ventri, vis illa & rigantes ora rivi lacrimarum, quas sæpè, facilè & ubertim profundunt: de quibus factum est jam tritum sermone & vetustate proverbium Teutonicum, quo tales dicuntur deplorare miseriam ebrietatis.

XXXVI.

Sententia de colliquatione spirituum, quæ fons lacrimarum perhibetur, jamdudum capite deminuta est, cum spiritus lacrimis multò sint subtiliores. Ast verò id, quod colliquatur, crassius eò, in quod evadit, esse debuit.

XXXVII.

Cæterùm quò minus semper lacrimis genæ madeant, obstat tùm emissarium, quod tantis-

per

per connivere, donec ab impulso alicundè humore reseretur, sensus perfluentis itérq; præmolientis lacrimæ documento fuerit: tum etiam glans ad congressum utriusq; palpebræ, velut obex humorum impetui & defluæ illuc redundantiæ opposita, foraminiq; è maiore angulo in capacitatem narium rectà deorsum pertinenti objecta, quæ aquosum & tenuem humorem excipit atq; deponit in sinum: absq; qua glande foret, oculi in lacrimis perpetuò natarent, quod venire iis usu solet, quibus ea vel ab ortu deest, vel ferro adimitur, aut præterlabentis humoris medicaminísve foris instillati acrimonia depascitur.

XXXVIII.

Δακρύων alia ἀκούσια dicuntur, alia ἑκούσια. Ακούσια autem talia sunt, vel πῶς, vel ἁπλῶς. Τῶν ἑκουσίων genus similiter bipartitum est: aut enim fiunt κατ' προαίρεσιν, aut μὴ κατ' προαίρεσιν.

XXXIX.

Cumq; ἁπλῶς ἀκούσια vocentur τὰ ὑφ' ἡμῶν γινόμενα διὰ τινὸς ἔξωθεν ἀναγκάζοντος, lacrimæ merè & absolutè ἀκούσιοι illæ erunt, quarum caussa & principium extra nos sunt posita, & forinsecùs adveniunt, quæq; fluunt κατ' ἀνάγκην, καὶ κατ' βίαν, citra & præter arbitrium, neque corde, ut sic dicam, conscio, neque quicquam administrante.

XL.

Referri autem ad has potißimùm caussas pos-

ſunt. Aut cientur enim tales lacrimæ a calore venti vel aëris, fundente liquanteq; humiditates cerebri, vel leniter etiam ac latenter divellente continuum: Aut ab acrimonia fumi vel halitus, rerum acrium ac mordentium, ut crudarum cœparum in fruſta conciſarum, quæ Columellæ inde lacrimoſæ dictæ ſunt, & allii, ſinapis, raphani: ſive nidor eorum foris ſtatim, aut, dum eduntur, transmiſſa reſpiratione oculis adigatur, ſive per os cribri more variè pertuſum trajiciatur, ſive per bifidos narium tramites palatíve foramina invehatur, & baſin cerebri perſtringat: Aut à ſplendore Solis, præſtringente videndi aciem, ac lancinatu dolorem inferente: Aut vi frigoris exſtringentis: Aut a rapido frigidioris venti in oculos incurrentis impetu: Aut deniq; a feſtucæ ſabulíve illapſu, a contuſione & frictione oculorum, a vibratu vel ictu, tam capitis univerſi, quàm oculorum.

XLI.

Δάκρυα πῶς ἀκόσια non extra, ſed intra nos principium nacta eſſe videntur, utpote violentum vomitum, aut etiam capitis partiumque inferiorum agitationem, ex ſoluto riſu ſive cachinno, vel eodem inter præcordia coacto, è citatiore curſu: Tùm humoris proventum, aut congeſtu quodam redundantis in cerebro, aut de mole halituum per temulentiam progeniti, & in oculos procumbentis, aut vi eò abjecti, ut

in va-

in variolis: Ad hæc dolorem oculi, ex inflamatione, palpebrarum ulcere, aspritudine, earundem conniventia, crebriore nictatione, directione aciei, aut iis obtutibus, qui ἀσκαρδαμυκτὶ fiunt, hoc est, oculis irretortis fixis atque immotis: Denique capitis repletionem, ex operosiore enixu τῶν σκυβάλων, ex oscitatione, ex retentione animæ inter operandum, inter bibendum ἀμυστὶ καὶ ἀπνόοις, id est, raptim ductimque sineque interspiratione.

XLII.

Αυγοίοις accensentur lacrimæ perpetuò in iis exstillantes, quibus ἐγκαυθὶς aut statim a nativitate deest, aut postea plùs æquo incautiùs detrahitur: aut ab humoris tam intestini, quàm foris instillati, vel puris etiam acrimonia absumta, aut ferro per incisionem unguis, cauterióve exemta est.

XLIII.

Vtrumque τῶν ἐκυοσίων genus caussam & principium commovendarum partium, quæ fons sunt & rivuli sive emissacula lacrimarum, intra se habet, nempe phantasiam & προαίρεσιν.

XLIIII.

Προαιρέσεως autem nomine hoc loci strictè utimur, quemadmodum alicubi Aristoteles. Complectitur ea λόγον καὶ διάνοιαν, hominis solius & propria, neque communis ei cum brutis naturis, quæ eius capaces neque sunt, & esse omninò nequeunt.

XLV.

Proinde δάκρυα ἐκυόπια ἀπροαίρετα veriùs

brutis

brutis tribuuntur, & in eorum genere illis etiam, quæ membranam habent ab oculis obeuntem, τῇ ἐγκανθίδι subnatam, ac prætentam ei cartilagini, cui nostro quodam jure in historia musculorum a rhombi forma nomen fecimus, & ῥομβοειδῆ appellavimus: merito cuius animantes creduntur σκαρδαμύττειν, id est, nictari ac connivere.

XLVI.

Atqui brutis non solùm competunt huiusmodi lacrimæ, ut equo, cervo, apro, crocodilo &c. sed etiam pueris, quàm diu sanè in ipsis τὸ φανταστικὸν dominatur, neque dum rationis & mentis usu ita excellunt. Nam secundum Aristotelem, τὸ ἑκούσιον καὶ παῖδες, & τὰ ἄλλα ζῶα κοινωνεῖ, προαιρέσεως ὂν ὄ, id est, voluntarium & puerorum & aliarum animantium commune est, propositum non est, idq; eò quidem, quòd τὸ ἑκούσιον notio pateat latiùs.

XLVII.

Pueris non immeritò & adultiores annumeraveris, & moriones sive fatuos, qui principum in delitiis sunt, & quibus in morbis abalienata mente lacrimæ profluunt: ad hæc senes ætatis vitio desipiscentes, inq; pueritiam quasi postliminio revolutos.

XLVIII.

Lacrimas κατ' προαίρεσιν cient animorum perturbationes, & quidem non eodem modo, sed variè ac diversè, perinde ut cor aliter atq; aliter

ter afficitur, opeq; fibrarum, quibus intextum est, sese incitat atq; impellit, idq; pro objecti conditione tam falsi atque ementiti, quàm veri. Nam & hic illud Sophocleum locum habet: τὸ νομιζὸμενον τῆς ἀληθείας κρατεῖ, *opinio pro veritate obtinet.*

XLIX.

Modò enim cor ceu gestiens lætitia voluptateq; exsilit atque insurgit, thalamosq; suos adaperit: modò subsidens rursum eosdem, non citra doloris sensum, contrahit: non etiam nunquam motus hosce miscet, & momento induit deponitq; vicissim, atque adeo secum una cerebrum, quo cum lege consortii junctum est, vibratu planè mirifico, & sensum omnem atque rationem fugiente percellit.

L.

Dum contrahitur in se, atque constringitur cor, ut in levioribus doloribus, angoribus, metu, tristitia &c. calor & spiritus (quibus ad omnem actionem tanquam instrumentis primariis anima utitur) & unà sanguis ad principium undelibet arcessuntur, ac paullatim abducti vel vulgo attestante, quod affirmat cor sibi tristicia turgescere, in imo velut penu reconduntur. Quod dum fit, præter cætera, quæ in summo corpore sunt, cerebrum frigescit, & humores in eo supervacui naturæ fugientis, & ad loca sibi penitiora descendentis regimine destituuntur: qui jam permissi sibi ultrò effluunt,

tum

tum frigoris, quo meatus arctari solent, impulsu quadamtenus etiam exiguntur. ἡ γὰρ λύπη ψύξιν καὶ πύκνωσιν ἐργάζεται τῶν πόρων: *de quibus, satisfaciant in assiduis mœrentium doloribus, nec ne, videndum deinceps.*

LI.

Basilius cognomine Magnus libro περὶ τῆς εὐχαριστίας, *& frater eius Gregorius Nyssensis libro de opificio hominis, et quotquot eum secuti sunt, inter quos est Meletius Philosophus, quique in eandem sublabi sententiam videtur, Grammaticorum cœtus universus, tantùm a doloribus cieri lacrimas autumant, visceribus & instrumentis respirationi deservientibus, contractione sui in caput vaporem udum exstringentibus, qui collectus intra cavitates cerebri, per conferentia emissaria, ad imam partem eiusdem, vi sibi exitum postea moliatur.*

LII.

Quæ quidem opinio sanè non pauca habet prorsus ἀφύσικα καὶ ἄτοπα, *etsi mordicus tenetur a multis: quando humor in cerebri ventribus citra discrimen & offensam virtutis animalis colligi atque exaggerari posse non videtur, & compressis corde ac visceribus impeditur potius, quàm ad cerebrum extruditur evaporatio, interceptis nimirum meatibus: denique testatur experientia, etiam gaudium lacrimarum ferax esse, ut non videatur Xenoph.* ἑλλω: ζ. *perperam scripsisse,* κοινόν τι χαρᾷ καὶ λύ-

πῃ

πῇ δάκρυα εἶναι: *neque inscitè Flavius Josephus 12. antiquit. Judaic: lacrimas quidem insignia mœroris esse, sed quæ natura tamen magnum etiam gaudium consequi voluerit.*

LIII.

Ideo Cælius Rhodiginus 12. lect: antiquit: cap. 3. omnium illorum sententiam restringere ad eum dolorem ex Aristotele videtur, in quo cor solito vehementius subsultat, caloremq; explicat suum, cuius vi humor sequestrari postea queat: aliter intus ab adaucto calore circa cor fervere quidem humorem ac bullire, sed non evaporare, propter meatuum occlusionem.

LIIII.

Dum cor hiscit & aperitur, ut in gaudio, lætitia & amore, quo complectimur etiã σοργῇ φυσικῇ δεινὸν τέκνων φίλτρον, *calor suo comitatus assecla nempè spiritu è cordis castro quoquoversum, per spongiosam corporis raritatem evanescit, præcipuè verò in cerebrum levitate sui evolat, quorum vestigia persequentes fuligines, velut agmine facto, eodem proruunt, neq; solum vias laxant, sed contentas inibi humiditates fundunt incitantq;.*

LV.

Secundùm quæ ab unoquoq; jam facilè statui potest, quemadmodum in mixtis affectibus lacrimæ effluant. Vbi hoc vice cuiusdam axiomatis tenendum: Respici oportere ad τὸ ἐπεῖγον καὶ μόνιμον πάθος, *hoc est, ad eum motum, qui momen-*

momenti est maioris, cæterisq; diutius durat, ac prædominatur. Verbi caussa: in ira, quæ ζέσις est & ἀναβρασμὸς quidam sanguinis, tristicia vix momentanea est: ast ei succedens ὄρεξις ἀνθιμωρήσεως multò durabilior, in qua ab ebullitione sanguinis & spirituum elati fumi excrementitiam cerebri humiditatem dissolvunt, & ad oculos protrudunt.

LVI.

Est ubi duo affectus & quidem planè contrarii concurrunt, viribus aliâs paribus, aliâs imparibus. Si paribus, tam diu invicem colluctabuntur intus Marte dubio, donec refractu mutuo soluti in lacrimas pariter eluantur. Cuius farinæ est πάθος ψυχῆς τῇ χαρᾷ καὶ λύπῃ σύμμικτον, a Xenophonte κλαυσίγελως nuncupatum, qui est risus lacrimis intermistus, seu risus (ut ita loquar) lacrimosus, ei similis, qui hodie spectaculo quidem ridiculo, at non perinde jucundo, plebeculæ ab agyrtis vi extorquetur, arisari bulbulis in os furtim insertis. Andromache Hectorem in prælium egressurum, simul ac in sinum excepisset ab ipso filiolum, prosequitur δακρυόεν γελάσασα. Apud Statium, misto risit Latonia fletu. In Medea ob injustum repudium filios, quos ex Jasone susceperat, trucidante,

Ira subest lacrimis, miseratio non caret ira,
Alterutrum videas ut sit in alterutro.

LVII.

Quin & in congressu duorum impari; uno vin-

vincente alterum, lacrimæ de cordis vibratiore assultu manant, idq; experitur in se unusquisq; τ ἐμπαθῶς ἐχόντων. ut cum desperatione spes bona confligit & superat: & cùm in privignis ad novercæ tumulum flentibus, & hæredibus divitum, τȣ πρέποντος sive decori atq; officii ratio intestinum gaudium evincit: de quibus jam olim jactatus jocus est à Publio: Hæredis fletus sub persona risus est, aut (ut Agellius citat in Noctibus Atticis) risus personatus.

LVIII.

Quales quales autem & cuiuscunq; generis fuerint motus isti, quibus cor & unà cerebrum fons lacrimarum perturbatur, elicere lacrimas vix aut omninò non poterunt, nisi vehementes sint concitatíve, atq; impetu quodam irruant.

LIX.

Sed & adjuncta iisdem esse debet spes, & προσδοκία τȣ μέλλοντος, inprimis autem, & quidem perpetuò, ἡ εὐσπλαγχνία, qua quis serio caritatis sensu, ex sua ipsius ac propria, vel alterius infelicitate movetur, sive ea præstò sit & præforibus, sive a tergo immineat, sive jamdudum etiam prætervolârit: quæ virtus, ut hominis propria, ita excellenti, sed minus usitato nomine a quodam ἀνθρωπία indigitata est.

LX.

Vt enim rationis exortia metipsa quoq; doleant: tamen neq; σπλάγχνα οἰκτιρμῶν habent, neque, ut Plinius loquitur, illæ lacrimæ miseri-

cordiæ in naturam eorum cadunt, quippe quæ fluere absq; Διανοίᾳ nequeant, altiùs reputante acerbitatem casus, eamq; conferente atq; accommodante ad respectum meritorum, aut dignitatis vel propriæ, vel eius, quem casus iste affligit.

LXI.

Hæc etsi scimus plerisq; visum iri præter historicam fidem: vera tamen sunt, & ita fieri constat. Quod si (ut Alexandri quidem fert opinio) aut a spiritu, qui per angorem affectus est, aut a meatuum prope oculos spissitudine exprimeretur humor vel oculorum, vel qui in proximis cerebri ductibus continetur, ne in mœsticia & dolore nimis citò, neq; magna cum allevatione lacrimæ deficerent.

LXII.

Verùm quemadmodum cieatur cerebrum, & ad profundendum lacrimas, vel minimo puncto temporis, a corde ceu instigetur, in eo verò caligat, ac tantum non cæcutit acies humani ingenii, quamlibet alioqui perspicax, imbecillitatem captus sui submittens maiestati numinis, nihil non optimè dispensantis: sicut neq; dùm ipsi explorata est plane mirifica illa sympathia, & consensus harmonicus cordis cum cerebro, & proclivitas unius ad obsequium alterius.

LXIII.

Neq; enim pusillus ille Vesalii nervulus curioso indagatori facere satis potest: neq; πλέγμα & cohors nervorum sanè quàm numerosa,

quam

quam primus observavit Fallopius, anatomiæ proceribus approbatur: neque de κοινωνία vasorum, vel ultrò citroq; reciprocantium spiritum: neq; denique de συρροία aut συμπνοία universi corporis, consentiens, conspirans, continuataq; cognatio principum illarum partium, deduci posse videtur: ut in huius indagine mens prorsus adhærescat.

LXIIII.

Ast ne de iis quidem πίστις habemus, in quibus cardo vertitur totius argumenti, quo de agimus in præsentia, nempe cur ex cunctis animantibus homini tantùm veræ illæ lacrimæ, (quarũ thesis 59 meminit) quemadmodum & risus, datæ, & utrisq; potissimum faciei partes dicatæ sint. Quare caussam a nobis sciscitanti, quod respondeamus aliud non est, quàm quod olim in scholis curiosiùs percuntanti, quo pacto nix existeret, respondisse quendam ferunt: Quia Deus sic vellet: hæc scilicet verba ingenui candidiq; animi, bona fide pignori relinquentem, cum debitum non posset persolvere. Non enim aliunde erui posse caussa lacrimarum, ut & risus, in hominibus videtur, quàm ex potestate, quam in corpus habet anima. Scilicet Naturæ allubuit adumbrare in facie & vultu latentes animorum motus, & illic θυρίδας τῶν ἔνδον statuere, ut in promtu essent, & ad manum exposita. Mirum verò ni Momus rideat, cui ne quidem Dii sui satisfecerint.

LXV.

In ingentibus subitisq; & ex improviso incidentibus animorum consternationibus, καὶ τοῖς πανικοῖς, id est, lymphaticis pavoribus, & ubi malorum liberationi planè jam desperatum est, ideo nihil lacrimarum prodit ab oculis puniceis, quòd cor repentino confertoq; recursu caloris vitalis spirituumq; velut attonitum fatiscat, tùm etiam obrigescat cerebrum, & humores in eo velut gelu durati consistant, idemque prorsus accidat homini, quod prehenso ab eo affecti cerebri symptomate, quod κάτοχον & καταπλήξιν nominant, non aliter constupescenti,

quàm qui Jovis ignibus ictus
Vivit, & est vitæ nescius ipse suæ.

Græci ἐκπετυφωμένον & ἐμβεβροντημένον *dicunt.*

LXVI.

Quò pertinent authorum illa: Vt Synesii constitutione altera: τὸ δακρύειν ἐνίους τῷ μεγέθει τῶν συμπτωμάτων κακῶν ἐκπλαγήτους ἀπέλιπε: *Lacrimæ nonnullos ad miseriarum magnitudinẽ attonitos defecêre. Et Statii in 9 Thebaidos: Diriguit juvenis, lacrimæq; hæsêre paratæ. Apud Herodotum in Thalia, cùm Psammenitus ad mortem duci filium vidisset, tacitus sedit, vultu humi defixo: cùm verò de amicis inopem quendam, illacrimans caput manu tutudit. Quæsitus caussam respondit,* τὸ μὲν τοῦ ἑταίρου πάθος ἄξιον εἶναι δακρύων: τὰ δ' οἰκήια εἶναι μέζω κακὰ,

κὰ,

κὰ, ἢ ὥστε ἀνακλαίειν: *Amici calamitatem lacrimis posse significari: at mala domestica lacrimis esse maiora: hoc innuens, quod est in 2. Rhetoric. cap. 8. Aristotelis (ubi ad Amasin illa refert)* ἐκεῖνο μὲν ἐλεεινὸν, τοῦτο δὲ δεινὸν: *illud miserabile esse, hoc verò atrox & terribile, hoc est, ut Philosophus hoc posterius explicat,* ἐκπληκτικὸν τοῦ ἐλέου. *Leves curæ, inquit Seneca, loquuntur, ingentes stupent. Nimis* Φιλότεκνον *Niobe poëtis fingitur lapidea, propter æternum credo in luctu silentium.*

LXVII.

Etsi autem animorum perturbationes de genere eorum non sunt, quæ dicuntur ἐφ' ἡμῖν, *id est, in nostræ voluntatis sita libertate, naturæ legibus non imperio voluntatis subjectæ, quo nomine* λύπαι *dictæ sunt Democrito* ἀδέσποτοι,

Quia nemo dicere legem
Fletibus aut fines audet censere dolendi,

ut Poëta loquitur: ipsas illas tamen nunc exasperat, nunc τὸ Φρόνιμον *earum reprimit cohibetq; mens consideratione circumstantiarum: & ubi ultrà citráve modum se incitando peccant, in gyrum ducens sibi audientes obtemperantesq; reddit, & ad mediocritatem revocat, unde gignuntur postea* ἀρεταὶ ἠθικαὶ, ἐλλείψεως καὶ ὑπερβολῆς μεσότητες οὖσαι.

LXVIII.

Similiter lacrimis, quæ ciuntur a motibus animorum, moderari mens potest, & vel iis sese

dedere muliebriterq; indulgere, vel ab iisdem sibi temperare, modò suspendere, modò renovare, pro conditione & sensu affectionis cerebro a corde communicatæ atq; impressæ: ut hoc etiam jure lacrimæ φεραυρελικαὶ sint & appellari debeant.

LXIX.

Et quod est amplius, ne tùm quidem φεραυρέσεως nomen lacrimis potest abnegari, quando pro βυλήσει ea accipitur a quibusdam, & voluntatem indicat: quàm rectè id fiat, nunc quidem nihil moramur, etsi philosophum inter ambo illa distinguere nos minimè latet. Quid est enim quæso φεραυρελικώτερον, aut perinde βυλητὸν, atque affectatum illud ac nimis exquisitum lacrimarum genus in gnathonibus, & Mimis ἠθολόγοις, meretricibus, ac præficis, mercede quæ conductæ flent alieno in funere, idq; venali quadam misericordia, & in genere mulierum universo, quod θρηνῶδες est καὶ φιλόθρηνον? quibus nimirum non modo corda ita assuefacta sunt sua, ut affectus quoslibet suo sibi arbitratu induere, & more histrionis vultu repræsentare possint: sed & oculi ad flendum longo usu quasi condocefacti, atq; omninò eruditi, sive ad assentandum, sive ad struendum aliis insidias, sive ad aucupandum amorem, mercedem, aut alia id genus.

LXX.

Cùm apud Homerum videt Vlysses Penelo-

pen

pen deflere fata ſui mariti, quem ignorabat aſſidere ſibi, reprimit ſe, ac δόλῳ δάκρυα κεύθει, id eſt, lacrimas aſtu occulit: de quo pronunciat Plutarchus in comment. de virtute morali, quòd habuerit καθήκοον τῆς κρίσεως, καὶ τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ αἷμα, & τὸ δάκρυον, id eſt, ſpiritum, ſanguinem & lacrimas rationis dicto audientes.

LXXI.

In lacrimas proni ſunt, ſeſeq; lamentis dedunt, quicunq; è viris animos gerunt muliebres, ἄνανδροι appellati, & puerorum ætas neq; dum potis τῷ θυμοειδεῖ imperitare: adhæc corporis conſtitutione præditi tenera, molli atq; effæminata, cerebro udo humectoq; & languido, dediti Veneri & ingluviei, εὔσπλαγχνοι, & ad miſerendum proclives, generoſi ſecundum proverbium, quod ad Zenodotum refertur, & citatur ab Euſtathio: Iliad. α. ἀγαθοὶ δὲ διδάκρυες ἄνδρες: Item natura diſtorti ac perverſi, quoties eos ſpebus eludi fruſtrariq; ſuis contingit: εὐφανταστοῖοι, qui ingenuè ingenioſeq; concipiunt imagines rerum abſentium, animoq; repræſentant ſuo, in affectibus longè potentiſſimi. Deniq; temperamento corporis calidiore & humidiore, quibus etſi ira ſubitò concipitur, ſatis vehemens illa: juſtis tamen ad ſui vindictam deſtituti armis, neque ferre eam, neq; concoquere queunt, æſtimationemq; injuriæ fletu mulierum more eluunt, vel minimis perturbationibus ſuccumbentes. Græci ἀκροχόλους ἢ ἀψιχόλους

nuncupant: Galenus ſæpenumero ὀξυθύμους, etſi hoc poſterius videtur in ancipiti relinquere, atque utroq; verſum accipere, non tantum de naturis cordis impendiò fervidioris, verum etiam de frigidioribus, quæ levi occaſione commoventur, ex rationis potius imbecillitate, quàm calidioris cordis affectione, hoc eſt, de iis qui ſunt humectiore paullò corde, citrà calidi dominium: quales ſunt fœminæ, frigidæ quidem illæ, at iræ tamen præcipitis, ut parum ab ὀργίλοις ὀι ὀξύθυμοι differant.

LXXII.

Αδάκρυες ſunt, quibus πόροι δακρυοφόροι perangusti ſunt atq; impediti, angulorum caruncula ſupra modum increvit, ita ut arctet meatus, cerebrum pumice aridius eſt: qui item ἄλυποι ſunt indolentes, ἀποπληκτοι ſive ſtupidi ἢ ἀναίσθητοι, horridi & rigidi, naturaq; immites & feri καὶ δυσχερεῖς: & inter τοὺς πειθύμους, temperamento præditi calido & ſicco, quibus ineſt τὸ ἢ ῥοδρὸν ἐκεῖνο καὶ ἀλάπυρον πρὸς ὀργὴν, quibus bilis in naſum concitur, quiq; in fermento toti ſunt. Nam horum ſcintillantes oculi vice lacrimarum ignem ſpirant.

LXXIII.

Sed & aliunde, quàm ab efficientibus cauſſis, lacrimarum differentiæ deſumi poſſunt. Ac primùm quidem οὐσίας discrimen parit. Aliæ namq; tenues ſunt, aliæ craſſæ, aliæ mediocres, pro natura humorum & caloris, ſerum ab iis

ſecer-

ſecernentis, demenſo, foraminumq; efferentium anguſtia vel laxitate.

LXXIIII.

Deinde Qualitas, quam tactus deprehendit. Hinc quædam ſunt calidæ, quædam frigidæ: illæ vincentis, hæ contra debilitati caloris argumentum ſunt. τὸ μὲν ἄπεπτον, ψυχρόν. τὸ δὲ πεπεμμένον, θερμὸν. *Frigidæ ſunt eorum, qui valetudine oculorum laborant, & moribundorum. Calidæ tàm ridentium, quàm mœrentium, etſi, qui cutis in facie reſpectu eas metiuntur, ſecus de lacrimis ridentium pronunciare ſolent, quibus ſenſus judicio frigidæ cenſentur, perinde ut lotia τῶν θερμολουτρούντων.*

LXXV.

Tertiò Quantitas ſive ubertas, quæ provenit ab ichorum, & materiæ potulentæ, cùm in venis univerſi, tùm in cerebro redundantis copia, & a cauſſæ tàm foris oculum urgentis, quàm intus cor percellentis vehementia. Quibus ſuffragatur ſpiramentorum expedita amplitudo, & caro τὸ ἐγκαυθίδες σαρκωδεστέρα, vel omninò deficiens. Contrà parciùs fluunt, ac citius inareſcunt, ubi ſecus illa ſe habuerint.

LXXVI.

De ſapore lacrimarum quæſtio eſt apud Plutarchum in eo libello, quo eventuum nonnullorum rationes promuntur naturales: cur nimirum ſuum agreſtium lacrima dulcis ſit, cervorum dum capiuntur contra ſalſa & improba.

Apponitur caussa, frigus in cervo, calor in apro.

LXXVII.

Cuius lectionis veritas posset alicui suspecta videri, nisi author idem verbis iisdem repeteret 7. συμποσιακῶν Probl. 2: atq; obstaret nobis Aristotelis illud in 4 ἐγκυκλίων παραδειγμάτων: (etsi in his tanquam ἐξωτερικοῖς λόγοις probabilius quàm limatius, magisq; ad vulgarem popularemq; sensum accommodatè disputat) Quæ incocta sunt, inquit, sapores habent deteriores, hoc est, aut acidiores, aut salsiores, aut amariores: contrà quæ concocta maturaq; sunt, dulces aut minus insuaves.

LXXVIII.

Etenim in animantibus, quæ πάθερμα καὶ πυρώδη, & velut aper animosa sunt, ut excrementa reliqua calida sunt, salsa & amara: ita & lacrimæ, quæ tanquam reliquiæ sunt humoris serosi, tenui bile perfusi.

LXXIX.

Ideo Scaliger, quo nemo ferè post Aristotelæos in docendo edisserendoq; subtilior est, nemo argutior, commentario in libros de plantis, qui Aristotelis nomine proscripti sunt hactenus, lectionem istam ausus fuit censoria quadam notatione mutare in sententiam contrariam: cervi, inquit, lacrimam dulcem esse, apri econtrariò salsam, Plutarchus scribit.

LXXX.

Cælius etsi 12 lect. antiq. cap. 5. ad limandam

dam veritatem interpretatione utitur satis commoda & nequaquam callida: postea tamen lib. 30. cap. 1. nimis abditum hoc esse, & ab intellectu devium, inq; naturæ maiestate reconditum latêre fatetur, quod ingeniorum solertiæ nondum satis videatur excussisse.

LXXXI.

Nos qui asserere antiqua malumus, quàm mucronem iis admovere styli censorii, per cervi lacrimam existimamus propriè sic dictam in brutis lacrimam a Plutarcho non innui, (omnis enim salsa est, & tàm aprugna, quàm cervina) sed λήμῳ potius, cui natura proximè subter oculo oblongum folliculum, osse maxillæ illic debiscente, affabrè in cervis machinata est, in quo viscedine coagulata sua colligi queat, unde etiam eruitur, spirans initio βρομῶδες ἢ propemodum ut suum jugulatorum tergora, dum setæ iis diripiuntur, superfusa ferventeaqua. Processu temporis ἐυωδίαν acquirit, adeò pertinacem, ut totum septennium illibata possit asservari, quod de periclitatione Johan. Langii nobis liquet.

LXXXII.

Salsior ea est in fugace cervo, propter implicata sordium strigmenta, illuviem sudoris, & λεπίδας cuticulæ, atque pilos, quorum radices uliginis acrimonia exest atque corrumpit. Apri contrà, ubi in venatu excanduerit & exarserit in furorẽ, dulcior est, eò quòd πεῖπωμα

ἢ ἡμι-

τ ἡμιπέπτ τροφῆς (ita ex Galeno supra λήμω definiimus) exquisitius percoquatur a plurimo fervore raptim se ad oculos promente.

LXXXIII.

Quod in orientalibus terrarum tractibus, maximè verò in Persia, cervis circa annum ætatis centesimum, ad canthum oculi perhibetur accrescere ipsis ossibus, atque in os protuberans concrescere ea duritie, qua cornu superet, insigni nitore fulvi coloris, non sine vestigiis atriorum venularum, insuper tanta lævitate, ut tactum eludat: si sic est, ut esse scribitur, ἄποιον est, neq; sensum afficit, ac ne tentat quidem: & a quibusdam pro lapide putatur, quem gentilitio nomine Albezahar appellarunt, haud scio quàm rectè, inquiriturq; venatoribus admodùm studiosè, contra quævis venena amuletum præsentaneum.

LXXXIIII.

Avicennas aliud genus lacrimarum nativũ vocat, quasi insitum nobis et congenitum, & ab ipso jam ortu acceptum: ut cum caruncula angulorũ aut deest a natura aut paullò nimiùm exigua est: aliud accidentale, adventitium, temporeq;, in nobis jam editis, extrinsecus acquisitum. Accidentalium rursum quædã continuæ sunt, quibus similiter caussam præbent defectus ἐγκανθίδος, aut deminutio eiusdem ex admotu medicamentorum acrium, aut sectione τȣ πτερυγίȣ sive unguis perperam administrata.

ſtrata. Nonnullæ interpolatæ, cum vel ſine morbo, & quæ ſequuntur debilitatem τ καθεκτικῆς aut ἀλλοιωτικῆς δυνάμεως tam cerebri, quàm oculorum: vel alias quascunq; cauſſas.

LXXXV.

Signa diagnoſtica ſunt oculorum fluentium ſive lacrimantium, gravitas capitis, & cerebri nimium onuſti annixus, geſtientis ſeſe a ſuperfluente materia crebriore ſternutatione exonerare.

LXXXVI.

Per autem multum refert ſcire, num a venis quid mittatur, & a quibus. Si enim ea aliquid contulerint, quæ intra calvariam & cutem ſunt, adeſt præter pilorum defluvium tenſio cutis cum pruritu quodam atq; lancinatu, ſi præſertim humor ſit acrimoniæ particeps. Sin reliquæ, quæ intra calvam ſunt, nares, intùs pruriunt atq; palatum.

LXXXVII.

Tàm viſcerum, quàm partium propter oculos ſitarum læſionem produnt depravata diſpoſitio, & doloris affligentis ſenſus.

LXXXVIII.

Lacrimas nativas negat Avicennis ulla adjuvari ope poſſe. Eſt & Celſo ſupervacua curatio in iis, qui ab infantibus id vitiũ habent, neceſſariò manſurum, ad mortis usq; diem. Priùs tamen, quàm unà cùm ætate adoleverit, aut confirmatum ſit, parêre remediis ſolet, ut in pueru-

puerulis. Ideo Avicennæ, quasi oblito sui, paullò pòst dicuntur difficiles curatu.

LXXXIX.

Sed & illarum curationi desperandum est, quæ profluunt δι' ἀῤῥωσίαν, aut (ut Philotheus velut interpretando illa alibi loquitur) διὰ ἐκτάσιν ἀτονίαν τ καθεκτικῆς δυνάμεως, insitæ non solùm cerebro, sed & ἐγκανθίδι, ipsius oculi substantiæ, & horum musculis: quod in acutis morbis est ὀλέθριόν τε & θανατῶδες, id est, marcescentis vitæ indicium: cuiusmodi lacrimæ non secus ac sudores gelidi è collo & capite, mortem proximè antecedunt.

XC.

Hoc loci non involvendum silentio, quod in moribundis semel atq; iterum visum nobis est. Nam in his exstillationem lacrimarum sæpe-penumero corrugatio consequitur tunicæ corneæ, quam vulgus è tenaciore lacrimarum materia instar telæ oculis obnasci putat, ideoq; abstergere nonnunquã cupit, sed frustra: quod ipsum quoque funestum est.

XCI.

Lacrimæ χρονιώτεραι curantur difficilimè, siquidem humor annorum decursu sensim fit acrior, erosoq; communi sinu aliò cuniculum agit, ac tandem in fistulam abit.

XCII.

Facilius curantur lacrimæ, quas sustinet humor venarum & arteriarum extra calvariam,

riam, quàm quæ foventur ab humore venarum internarum: illæ enim statim obviæ sunt: hæ intus reconditæ, & minus accessæ medicamentis.

XCIII.

Lacrimæ in febribus acutis, magis autem ardentibus, aliâs cum, aliâs sine voluntate profluunt: illis quidem nihil absurdi malíve præsagitur, nisi quòd ab uberioribus dolor interdum capiti infertur, a præparcis immodica cerebri siccitas arguitur: hæ contrà παρὰ φύσιν quidem sunt, sed dissimiliter. Aut enim cætera signa non pessimè se habent, & virtus sibi ipsa etiamnum constat, exspectaturq; sanguinis è naribus eruptio, circa statum morbi, antegressis coctionis signis: Aut reliqua φλάυρως ἢ ὀλεθρίως se habent, & mors præ foribus est, ob suprà indicatam caussam.

XCIIII.

Frigidæ lacrimæ semper malæ sunt, at verò in acutis febribus prorsus exitiosæ, utpote quæ præsagiunt τὴν τὰ κερεὰ μόρια διοικοῦσαν φύσιν (Hippocrates ἔμφυτον θερμὸν nominat) aut jam modò exstingui omninò, aut brevi post exstinctum iri. Sed & calidæ in acutis malæ, ob caloris colliquantis in cerebro incendium.

XCV.

Similiter mali aliquid perpetuò denunciant, quas in mœrore intùs cohiberi contingit, tàm cordi, quàm cerebro: illi quidem ex retenta

ta fuligine, calori ſpiritibusq; vitalibus longè infeſtiſſima: huic verò, quoniam metus eſt, ne humor in ventriculos expreſſus repentino ſit exitio, conculcans ſpiritus, animæq; functiones peſſundans perimensq;.

XCVI.

Nimis quàm ſalſa lacrima exulcerationem interminatur, non ſolum carneo corpori, ſed & oculis & palpebris, tùm genis etiam, quas delapſu ſuo perſtringunt.

XCVII.

Craſſæ lacrimæ, ſi tenuibus ſuccedant, ſignum ſunt coctionis: ſi easdem præcedant, caloris imbecilli. Tenues ſignificant anguſtiam meatuum, frigidam intemperiem, & morbi diuturnitatem.

XCVIII.

Nimis ubertim profuſæ lacrimæ dolorem capitis indicant, vel præſentē jam, vel impendentem. Etſi autem copioſæ lacrimæ inter initia oculos turgidos, ſeq; ipſis maiores reddere videntur: diuturniore tamen mora eosdem extenuant, & ad tabem deducunt, usq; adeò debilitantes eos procubitu ſuo, ut alimentum conficere ſuum amplius nequeant, immò ἐκμαδὰ jam confecti alimenti ſecum evellentes atque eripientes.

CVRATIO.

XCIX.

Lacrimæ κ̃ φύσιν, qualis nunc quidem ea

eſt,

est, (sunt enim lacrimæ ἰδίωμα φθαρτῆς φύσεως) opem medentis non desiderant, cum naturæ ex usu sint, cerebrum nimio aggravatum onere superfluorum voluptate quadam allevent, oculos expurgent, ac simul rigando obungant: ad hæc cor ipsum liberent tàm ab exusta fuligine, quàm a tristi doloris sensu, quem exonerat atque exhaurit in querelas: Vnde poëtæ illud:

Est quædam flere voluptas,
Expletur lacrimis, egeritur q̃ dolor.

Et confirmat experientia, ὡς ἡδὺ δάκρυα τῆς καρδίας πεπνθόσι: rursum vi coërcitas lacrimas, & coactum inter præcordia dolorem, consequi plerunq; mala ἀνήκεστα, mortem deniq; ipsam. Vt enim flama obstructis spiramentis a proprio fumo suffocatur: ita ἡ οἰκονομοῦσα τὸ ζῶον δύναμις, quæ calori insidet, contabescere solet, nisi excrementa favillacea, quæ sanguinis ardor commisit, maturè sevocentur.

C.

Quòd si tamen intemperantiùs profluxerint, una eis potest mederi ratio, παγώνιον φάρμακον Plutarcho dicta: in iis quidem, qui sunt ἔξω, id est, in populo & Ecclesia Christi non censentur, præsidio virtutis, sapientiæ, & institutis atq; præceptis sanioris Philosophiæ, eius inprimis, quæ περὶ βίου καὶ τῶν πρὸς ἡμᾶς pertractat, & Moralis nuncupata est. In piis accedit auxilium Spiritus sancti, in verbo, & per illud efficacis.

CI.

A medicis curantur duntaxat lacrimæ sine voluntate, citraq; naturæ præscriptũ erumpentes, & ex his quidem, quæ ab aliqua tàm internarum, quàm externarum caussarum originem duxerint, earum ἀφαιρέσει. Summotis namq; caussis, metipsæ lacrimæ, quæ quasi stirps sunt earum, vanescunt atq; exarescunt, nisi diuturniore mora & actionis vehementia, aliquod sui vestigium in oculo partibusq; finitimis reliquerint.

CII.

Idem judicium est de iis, quæ viscerum aliarúmve partium consensu, aut vi morbi alicuius oculum infestantis, profluunt, si nec ipsæ vim caussæ induerint, neq; rationem habuerint τοῦ πρείττονος sive urgentioris, hoc est, neq; virtuti, neq; ἀλαθέσι obsint. Tum enim methodus contrà præscriptum artis invertenda, & iis vacandum, morbo tantisper non quidem prorsus neglecto, sed saltem prætermisso.

CIII.

Ἀπυρέσι tanquam cautione initio opus est ad eas lacrimas, quæ a venis exterioribus aut modò fluunt, aut brevi post fluxuræ sunt. Quæ vero per intrinsecas fluunt, eæ compesci hoc pacto nequeunt.

CIIII.

Quæ comitantur deminutionem τοῦ πνεύματος, eas curant Galenus, Averrhoës & Rhases,

ſes, prævia tùm corporis univerſi, tùm capitis purgatione, & inſperſione pulverum modicè aſtringentium, regenerantiumq; carnem deficientem. Præparari autem convenit medicamenta eiusmodi cum aqua decoctionis myrti.

CV.

Cæterum ut alibi ἐν τῇς ἐκκριναμένοις, *ita hîc quoq; reſpiciendum ad id eſt, quod* ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, *plerunq; & maxima ex parte, accidere uſu ſolet. Creberrimè autem proveniunt lacrimæ ex materia, vel qualitatem adepta præter naturam, vel juſtum modum naturæ non tenente.*

CVI.

Vitia qualitatis varia ſunt: ſed ex æquo omnia corrigenda profligandaq; rata illa & conſtante curandi lege per contraria: quæ nimirum dote ſua intemperantem calorem lacrimarum moderentur, ferociam coërceant, craſitiem incidant ac tenuent, acrimoniam retundant, ne radat vias exulcerétve, ſalſedinem & nitroſitatem mitigent, denique naturam adjutando cruditatem emendent.

CVII.

Vtraq; materia tàm hæc vitioſa, quàm altera illa redundans, non ſolùm è capite, ſed univerſo corpore debito modo ac ordine, perq; vias conferentes detrahenda eſt, & meatus expediundi, quoad morbus & ſymptoma penitus exſcindantur: minimè interim neglecta

etiam venæ sectione, dum modò, quod repugnet, omnino nihil fuerit, & lacrimas vel inflamatio cieat, vel humor foveat in vasis &c.

CVIII.

Verum cùm morbus, unde symptoma hoc dependet, non in totum factus sit, sed continuè fiat, aut sit ἐν τῷ γίνεσθαι, providendum ne fiat ampliùs: quod præstabitur, si capite & cerebro ab onere jam liberatis suo, & exhaustis reliquiis, non permiserimus in posterum supervacua inibi congeri atq; exaggerari, cerebrum & imbecilles oculos non modò roborantes, ut appulsum ad se alimentum melius digerant, sed & adversus novã alluviem probè munientes.

CIX.

Cerebrum roborant, pristinæq; reddunt valetudini, quæ familiari dote sua ei privatim & egregiè juvando destinata esse creduntur, tàm intrò assumta, quàm foris admota: ea unicuiq; lapsa temperies cerebri præscribet.

CX.

Omne ferunt punctum in enervatis oculis instaurandis, atque confirmandis auxilia μετρίας σύψεως καὶ φύσεως ἀδηκτοτάτης participia, & quidem forma pulverum tenuitate atomis non absimilium, eò quòd altiùs impingantur, & combibant humores, impetumq; remorentur ac sistant.

CXI.

Compertum est inter auxilia ἀποδακρυϊκὰ

vini

vini latice (qui est vinum igni eliquatum, vulgò aqua ardens dicta) nullum præstantius esse, ad exiccandas eas lacrimas, quæ ab impendiò frigido humidoq; cerebro primordium ducunt, sive capiti applicetur, sive eo lacrimalia identidem de die eluantur.

CXII.

Per autem difficile est, haud scio an non prorsus ἀδύνατον, ut caput (quod & intrinsecis caussis sive injuriis maxime obnoxium est, & totius corporis velut καπνοδοχεῖον sive fumarium) diu saltem, nedum penitùs mundum sit atque permaneat. Idcirco duæ aliæ nascuntur ἐνδείξεις θεραπευτικαὶ: quarum una, illuvies per oculos ferri solita, aliorsum aversa distrahitur: Altera salvus deductus materiæ intercipitur.

CXIII.

Aversio variat pro materiæ conditione atque inclinatione, tùm situs partium opportunitate. Fit autem bifariam, aliâs ἀντιστάσει, aliâs παροχετεύσει: illa fluentem adhuc humorem in diversum aut contrarium revocamus, inhibito eius cursu: hac impactum, & in ægra parte jam modò consistentem derivamus in loca finitima.

CXIIII.

In censu τῶν ἀντιστατικῶν βοηθημάτων numerantur alvi intestinorumq; diluvia, lotiones pedum, balneæ tam aëreæ, quam aqueæ jejuno institutæ corpore ad sudationes assas & præhumidas,

midas, & ad utentis arbitrium temperatæ: usus cucurbitarum cum vel sine ferro, vincula injecta artubus, frictiones deorsum successivè et quasi membratim procuratæ. Moderandum autem inter hæc, ut vires conserventur.

CXV.

Παροχετεύσι inserviunt apophlegmatismi, vel mansus & ἀναθυχυλιασμοὶ sive γαργαρίσματα, oris item collutiones, & id genus alia, quæ non longo intervallo, sed via brevissima per palatum supervacua detrahunt. Sunt qui & ἐρρίνοις utantur, immissis in nares haustísve: quibus si meo arbitratu liceat, supersedendum potiùs, cum eorum ductu humores ad oculos appellantur: aut in nares hauriendæ sunt capite resupino, ut mox per summa palati in fauces relabantur.

CXVI.

Quòd si malum pervicacius fuerit, neq; paruerit hisce auxiliis, pravitate jam duratum sua inveteratumq;, tùm deveniendum ad ἔσχατα illa, ceu sunt, cauteria, aut temporibus impressa, singula singulis, ut in lacrimis χρονιωτάτοις: aut cervici: aut eo in loco τοῦ βρέγματος, ubi suturæ coronali veruculata altera ad perpendiculum incidit, quem signat medius digitus manus, radici frontis ad summum narium insistentis. Dein fontanellæ recentium, interstitio duorum musculorum contiguorum in brachiis extrinsecus impactæ, palmari infra alas

spacio.

ſpacio. Tum παρακέντησις, qua cutis ad cavum occipitii unà cum carne, ſeu digitis, ſeu forcipe prehenſa, acu pungitur, ad trajiciendum filum ſericum. In quorum cenſu habenda & ἀμυχλικὰ omnis generis, veſicas, ulcuſcula & cruſtas in cute molientia, in collo & ponè aures.

CXVII.

Materia intercipitur, ſi via aditusq; ad cerebrum & oculos intercludatur, quod intus fit ope eorum, quæ tum tenues expirationes, tùm fluxiones inhibent. Fronti & temporibus conferunt ſiſtentia, & quibus ἡ σύφραξις πιότης eximiè ineſt: à quibus, ſiquidem voto non reſponderint, deſcendendum ad venarum ſectionem retrò aures poſitarum.

CXVIII.

Eſt ubi lacrimarum materia prorſus venenata eſt, & maligna atq; perniciosa, ut in lue venerea, & variolis, natura corruptos humores ſua quadam vi ad oculos relegante: hîc ergo pernicies retrò agenda non eſt, ſed cavendum ſolùm oculis, ne quid detrimenti ex humoris viroſi præterlapſu capiant: Illic contrà ῥοπὴ eiusdem inhibenda protinùs omni ſtudio, ob præſentaneum discrimen, quod viſui indè imminet. Proin eorum uſu interdicendum ægris tùm eſt, quæ ad cutim pellunt, ut Guajaci & Pali ſancti a Guajaco diſtincti, Sarſæ parillæ & radicis Chinarum.

SCHEMA RERVM ET VENARVM EMVLGENTIVM.



a. Venæ cavæ truncus.

b. Aortæ caudex, qui per declive dorsi unà cum cava defertur.

c. d. e. Tres emulgentes serie quadam, & ἐκ Διαφήματος a cavæ dextro pullulascentes: inter quas media d. cæteris est obscurior & penitiùs abstrusa.

f. Emulgens sinistra, nihil prorsus a Naturæ usitata forma distans, cum emulgente obscu-

obſcuriore dextri lateris, quæ κατὰ πλάγιον cavæ propiùs ſpinam enaſcitur, in una eademq; linea, ſed intervallo quodam interjecto ſita.

g. *Diviſio ſummæ emulgentis in duos ſurculos, quibus renem petit.*

h. *Comes arteria, ſummæ emulgenti ſubſtrata, ſimiliterq; diviſa.*

i. *Vena ſpermatica dextræ emulgentis infimæ germen. Etenim par hîc ratio eſt utrobiq; exortus ſeminalium venarum.*

k. *ἔκφυσις arteriarum è grandiore ramo pertinentium in teſtes, unde poſtea gemini propagantur rivi, utrinq; unus, ad commeatum vitalis ſpiritus impertiendum teſtibus. In hoc grandi ramo, non in ipſo caudice, divortium fit arteriarum ſeminalium.*

l. m. *Commune jugum, in quod divortia, venarum & arteriarum forma coni deorſum faſtigiantur. Reliqua deſecta ſunt, cum nihil evariarent.*

n. o. *Renum uterq;, quorum dexter corpore erat paullò habitiore, haud dubiè ob propaginum vaſorum multitudinem.*

p. q. *Vreteres abtruncati.*

HViusmodi fabricam renũ, & ſparſorum in reductas eorum partes vaſculorũ, theatro noſtro (cuius Generoſitas Tua, Baro inclyte, pars

fuit maxima) repræsentavit primò a me sectum strangulati cuiusdam cadaver, anno Jesu Christi 1579, circa mediũ mensis Februarii. Cernere primùm erat tres venas emulgentes (sequestratiles insolenti verbo dixeris) è dextro cavæ latere, serie quadam, sed ex aliquo intervallo prodeuntes. Quarum duæ intuenti statim se offerebant, sinistræ emulgenti ex adverso quidem sitæ, at non, ut dici solent, ἐκ διαμέτρου oppositæ, una superiore, altera inferiore loco, utrisq; interjecta tertia paullò inferius, & in quodam quasi recessu lumbos versus abditæ, propiùs aliquanto ad sinistrã emulgentem directò accedebat, quæ sufflata cava, serius cæteris duabus concepto spiritu turgescebat. In aditu ad renum portas (ita resima vocantur renũ, ubi caro eorum nonnihil depressa, e duobus utrinq; promontoriolis sensim in planiciem redit, ac velut debiscit, quo promptiùs vasa possit admittere) nulla è tribus illis emulgentibus findebatur, præter summam, utpote maximã, & quidem in ramos duos, quorum superior recto ductu renum substantiam ingrediebatur, alter inferior & aliquantò minor, per obliquũ infimæ emulgenti associatus eodem tendebat. Vtrumq; eius ramum sua comitabatur arteria. Reliquæ emulgentes, ut indivisæ, ita solitariæ, conjugumq; arteriarum expertes erant. Intrà carnem ipsius visceris omnium pariter emulgentium propagines innumeræ, & multò

quidem

quidem plures, quàm assolet, in sinum renum, qui ad seri alendo renum corpori jam ampliùs inutilis, stillicidiũ excipiendum incisus est, extremis suis osculis desinebant. Proinde mirum non est, verruculatarũ glandium intra communem sinum pensilium valvarum more a renum dorso utrinq; spectantium, numerum increvisse, quæ lotii transcolationi præfectæ papillarumq; ritu in uberibus animantium, exilibus ac visum fugientibus poris perviæ sunt. Infima trium emulgentium ad confinium cavæ, unde fuerat explantata, proferebat de se venam σπερμαλικὴν (quod aliâs tantum ac perpetuò quidem in sinistris usu venire solet) cuius caput suprà in modum infundibuli dilatabatur, partibus inferioribus sese in canalem arctiorem coangustantibus, quo seminis materia profundi affluentius, ac ceu prodigi potuit. Non enim aliundè, quàm hinc peti posse caussæ videntur, non solum uberioris in isto homine seminis proventus, & aviditatis exercendi venerem propè inexhaustæ, quæq; vix satiari posset, super qua paullò ante suppliciũ questus fuerat, ingenuè pernegans ullo unquam præter hunc in vita sese morbo divexatum fuisse: sed & θηλυγονίας perpetuæ, cui solùm habilis a natura esset. Nunquam enim marem procreavit, neq; in conjugio, neque in adulterio atque stupris, quibus creberrimè sese polluerat, ob assiduos stimulos impetusq; veneris, quos inhibere omni-

omninò ipse nequiit. Est autem hoc satis notum jam atq; testatum, ductus, quibus in corpore provincia aliquo deferendi materiam data est, tantò promptiùs & liberaliùs sibi concreditos humores distribuere, quantò sunt decliviores. Rursum quo σύστασις seminis liquidior est, magisq; fluxa, hoc effœminatius ferè id esse, quippe quod negligentius elaboretur, & caloris, qui eius quasi anima est, minus possideat. Denique quanto semen de copiosioris seri ammistione acrius redditur, tantò ad Veneris usum incitare ac lacessere vehementius. Hinc nimirum neq; modum Veneris sibi facere, neq; marem procreare potuit. Jam verò etiam σπερμαλικὰς arterias è caudice aortæ vidisses emergere non similiter aliis, sed prægrandem ramum ac singularem recta aliquò usq; inde progredi, postea infrà exortum pollicis latitudine in alios duos dirimi, directos in involucra testium, ad vitalem iis spiritum afferendum. In corporibus animantium nusquam perinde ludit divina potentia & sapientia, ut in renibus & stomachis eorum emulgentibus. Castorem eò nuper secuimus, ut liqueret nobis, quid nam essent castoria, vetustati diu pro testibus perperam existimata, cum sint potiùs φύσαι αδωνώδες ἐκ μιᾶς ἀρχῆς συνεζευγμέναι, hoc est, ad inguina siti folliculi ex uno ortu connexi, quorum instar est in leporibus, & in avium genere iis geminæ glandes κατὰ τὸ ὀρροπύγιον respondere viden-

dentur: In eo igitur lateris sinistri emulgentes quoq; ter geminæ erant non tamen abs se disjunctæ, quæ inflatæ sacculum oblongum repræsentabant, suffertum gossypio, aut pulvere, & in medio secundum longitudinem aliquoties intersutum.

Præter hunc seu luxum, seu lusum naturæ in emulgentibus, præsens cadaver exhibebat spectantibus alia παρανιώτερα, inter quæ fuit defectus cæci intestini: ut non immeritò subdubitetur aliquibus, sit ne illud ἐνεκά λυ institutum. Quem enim nostris quidem in corporibus usum habeat, non tam affirmare possum, quàm quærere. Pollux ideo videtur intestini nomine dedignatus fuisse, cum sit tantum σωαπλόν λ τῶ λεπῶ. Eius loco autem visebatur vix ἰχνογραφία seu rudimentum quoddam, prominentius scilicet tuberculum instar papillæ in uberibus: quod certè vicem illius gerere, aut munus, quale quale sit, obire minimè potuit. In brutis usus manifestior est, in quibus sacci speciem præbet. Cumq; sit velut δεύτερα γαστὴρ, nihil vel parum cedens ventriculo, aut colo intestino, κατ' ἐξοχὴν, id est, nomine insigni ἔντερον appellatur. Conceptaculum est sordium alvi, quibus etiam refertum dissectiones demonstrant. Cæteris animantibus ὑψιπόροις, id est, excelsa pervadentibus fex similiter in hoc tanquam in alveo colligitur, ne, dum in altum enituntur, chylo ea iterum permisceatur.

DE

DE VALVVLIS MEMBRANEIS QVORVNDAM VASORVM, ET INPRIMIS EARVM COhorte, quæ in interna capacitate venarum brachiorum & crurum sese nobis in cadavere anno 79. obtulit, hactenus incognita.

MEmbranarum, quæ canalium vasorumq; extremis tanquam foribus obduntur, antiquitas ferè in cordis historia meminit, differentium tàm situ, quàm forma. Aliæ enim illarum intrò, aliæ forâs spectant: Quædam τριγλώχινες, id est, trisulcæ appellatæ sunt, quòd cuspides telorum repræsentent: quædam ad c literæ similitudinem factæ, σιγμοειδεῖς. Omnibus commune officiũ est, prohibere, ne semel hausta vel reddita materia remeet. Hodie inter medicos usus obtinuit, ut membranæ istæ valvæ atq; ostiola nominarentur. Meminit Galenus aliarum adhuc membranularum iis in vasis, quæ provida natura fœtui, dum utero absq; respirandi munere fertur, privatim elargita est. E caudice cavæ, proximè sub basi cordis ad dextram eius aurem, qua arteriæ venalis, dextram pulmonis sedem adeuntis portio ipsi transversim subjicitur, seu foramen est effigie ovata, quo cava in arteriam venalem pervia debiscit, quóq; vasa hæc

mutuò

mutuò sese exosculantur (ἀναστόμωσιν Galenus nominat, καὶ σύντρησιν) seu propago peculiaris, qua sanguis crassior, neque dum a corde elaboratus, in pulmones fœtus distribuitur. Ad cuius oram instar operculi membranea substantia subnexa est, quæ obstaculo foret sanguinis in cavam venam restagnationi. Similiter Aorta annatam sibi arterialem venam, quà in dextram pulmonis regionem contorquetur ad spiritus vitæ distributionem, pertinet, seu communi duntaxat ostio, seu canali peculiari, ad cuius finem, non quidem Galenus, sed Vesalius, & ante ipsum Fallopius valvam in orbem obdidêre, ne spiritus semel in arterialem venam dimissus, in amplitudinem aortæ remigraret. His vasis fœtus ab adultis distinguitur: absq; quibus foret, non modò non nutriri pulmo Embrii, neq; vivere, sed ne formari quidem omninò posset. Statim a nativitate vasa illis membranulis obsignantur, ac velut emerita, & jam rude donata, perinde ut vasa umbilicalia, coalescunt. Realdus ureterum finibus valvas allocat, similes versatilibus follium fenestris, cedentes lotio in vesicam illabenti, at regressum suo objectu eidem non permittentes: quibus certè opus esse non videtur, ob ureterũ in vesicam insertionem, machinatione quadam atq; solertia institutam, quam Vesalius quidem inter propriam & communem alteram, atq; a peritonæo vesicæ circundatam tunicam: Fallopius

inter

inter duas proprias fieri asserit. Idem Realdus neq; oscilla mesaraicarum sanè quàm exilia in internam intestinorum capedinem pertinentia, valvis destituit, ne semel direptus intestinis chylus eodem restagnare possit. Quòd si ita esse donaverimus, uti esse anatomico illi visum est, quomòdo non dico deductus crudi adhuc chyli, sed jam ab Epate in sanguinem elaborati, necessaria ad alendum distributio, non impedietur, qua perinde intestina carere nequeunt, ut universa in corpore Respub. membrorum, quorum vita alimento sustinetur? Sanè per venas easdem peraguntur chyli ad jecur Δίδοσις, *& sanguinis nutrimentalis indidem ad intestina* παλινδρομία, *licet nonnulla cùm temporum, tùm officiorum vicissitudine. Neq; ulli patrocinari perfugium Galeni potest, è cava, non autem è Mesaræo venas producentes, intestinorum educationi destinatas. Videtur ergo fides huius observationis labare, cui fluxus Epaticus etiam refragatur, qui fieri non posset, valvulis illis regurgitationem impedientibus. Sunt præterea, qui bilis vesiculæ ductibus in intestina directis similiter valvas præficiunt, ad fel eò exonerandum. Sed ad venarum revertamur membranulas. Amatus in scholio curationis 52 centuria prima ait vidisse se in aliquot cadaveribus ostiola sive opercula, ad initium venæ carentis conjuge, ne semel sorptum sanguinem de se possit refundere ac regurgi-*

gurgitare. Ideoq; cavam venam, quam putealem nominat, inficiatur inflari posse, si imæ parti venæ carentis pari inserta cannulæ, & ventus sursum versus cavam actus fuerit. Nititur Amatus authoritate Johannis Baptistæ Canani, quem affirmat Vesalius idem retulisse sibi non solùm de vena ἀζύγῳ, sed & emulgentibus, & de ea, quæ juxta elatiorem sacri ossis sedem occurrit. Fallopius etsi litem Vesalii de sectione axillaris in pleuridite perpetuò in brachio dextro instituenda, ubi ubi sit inflamatio, non vult suam facere: erroris tamen Amatum coarguit, quòd fortasse in suo illo examine & distractione coriacei corporis venarum, quam diligentissima, ipse omne quidem fibrarum genus sensui obvium deprehenderet, ast opercula inquirendo nunquam posset pervestigare. Bartholomæus Eustachius hoc ut commentum prorsus ἀφύσικον ridet. Vesalius paullò benigniùs observatores illos tractat, ratus extuberantiorē corporis venæ crassitiē utrisq; imposuisse, ansamq; præbuisse allucinandi: quippe quæ ad ramorum exortus, propè orificia speciem membranarum mentiri soleat, cum interim nihil aliud sit, quàm margo quidam aut limbus exstantior, qualem circa utrumq; ventriculi ostium, & in arteriarum corpore universo infrà enatas inde propagines passim videre est. Nobis neutrum est observatum, neque valva membranulis cordis assimilis, neque cre-

pido vel limbus, aut quocunq; modo appellare licet: verum ad exortus emulgentium in bobus visa est membrana triquetra, ostio emulgentium subterita prætensa, ut una cum eo repræsentaret quasi corpus terræ, umbram in plano abs se projicientis. Nam emulgentis orificium, orbis forma est, ipsa vero membrana, trigoni specie. Eiusmodi membranæ passim occurrunt tàm in cavæ trunco maiore, dum per dorsi declive defertur, quàm in cruribus, ramorum minorum ostiis inferius præfectæ. Maiores enim rami alteras illas, de quibus mox dicetur, σιγμοειδεῖς membranas adipiscuntur. Eustachio osculum venæ coronæ modo cordis basin amplexantis, elegantissima membrana, cornutam lunam referente, tanquam janitrice obtegitur. Vtcunq; res sese habeat, istiusmodi valvis nostrorum hominum diligentia excitata est, & maiore studio postea in partium penetralia inquisitum. De ostiolo a nobis in altero cadavere reperto ad confinia intestinorum ilei & coli, posteà verba faciemus. Nunc de valvarum turba, in venis artuum, hoc est, manuum & pedum, dicere potissimum instituimus. Fertur anno LXXIX ineunte Hieronymus Fabricius ab Aquapendente anatomicus & chirurgus clarissimus, Patavii spectantium oculis subjecisse ostiola in venis brachiorum & crurum, cordis membranulis similima, aliâs unica, aliâs & multò quidem crebrius gemina, adeò magna,

ut

ut dimidium capacitatis venarum interciperent, interius per intervalla geminatim disposita sub ipsis exortibus ramorum, qui è lateribus cavæ, in externas artuum partes, nutritionis caussa disseminantur. Hoc autem ipsis assignare muneris, ut obstent, quo sanguis, manibus pedibusq; assiduo incalescentibus motu minus impetuosè & affatim affundatur: absque quibus foret, partes superiores genio defraudatum suo, infernas contrà uberiore alimenti affluentia aggravatum atque oppressum, ipsasq; adeo venas nimia distentas copia disruptum iri. Ad hæc easdem robur addere ipsi venarum corpori, & immodicam dilationem earum inhibere. Truncum cavæ & jugulares ideo illis destitui, quò nutrimentum liberius nullo obstaculo distribui quoquo versum possit, ad id, quod assiduo corporis nostri fluore variis ex caussis continenter dissipatum est, instaurandum, spirituumq; jacturam compensandam.

Hæc sunt quæ partim auditione accepi, partim cognovi de scheda observationem Fabricii continente, quam Noriberga ad me misit vir clarissimus Georgius Palm, Reipub. illius inclytæ medicus, amicus meus summus. Eodem anno LXXIX vertente ipse quoq; theatro nostro hasce membranas venarum repræsentavi. Quamvis enim paullò pòst, quàm Patavii eas monstrasset Fabricius, in cadavere, cuius tum temporis copia dabatur, interna venarum capaci-

tate, spongia sursum extersa, sanguinem alicubi deprehenderem velut interceptum hærescere: quod tamen prima illa consectione τῇ κῷ ἐπίπλωσιν, & quæ casu evenit similiore, quàm τῇ κατ' ἐπιτήδευσιν instituta, accuratam omnium dignotionem non molirer, ostiola tum neglecta sunt. Adhæc ad σκελέτου concinnationem festinanti non tantum suppeditabat ocii, quantum unaquævis particula ad cognitionem sui peculiarem postularet. Admonitus dein observatione Fabricii, (per quem enim hac in re profecerim, non equidem me pudet ingenuè fateri: aliter si faciam, aut in plagii crimen incurram, vel Æsopicæ corniculæ collectas pennas de reliquis avibus sibi accommodantis, risum de me moveam omnibus necesse est) cœpi vasorum in brachiis et cruribus penitissima rimari diligentius, & voti mei compos factus sum. Quemadmodum autem a me pervestigata sint ostiola, quæq; proprie ipsis videatur competere muneris provincia, precium operæ est annotare, subjecta trunca venæ parte, velut per transennam ostiola offerente: idq; tantùm eo fine & consilio, ut eruditissimæ Fabricii scholæ, quibus nobis exspectatione diutius carendum fuit, in lucem aliquando provocentur. Et confido enim, & de genio viri liberalissimo mihi policeor, è ditissima penu suarum observationum ad utilitatem publicam ipsum hæc & alia multa, quæ conscripta sunt ab eo diligenter,

ter, & ſunt ſublimiora, quàm quæ à nobis exſpectari queunt, benigniſſimè depromptum eſſe.

Sæpius jam dicta oſtiola alteri duntaxat valvarum generi in corde reſpondent, ſola figura, non ratione officii. Sunt enim σιγμοειδεῖς τὸ σχῆμα, quemadmodum membranæ cordis ad oſtia aortæ, & venæ arterialis. Sed neq; venarum, quibus inſunt, capacitatem intercipiunt, neq; ramorum ἐκ πλαγίου ab illis emergentium meatus occludunt. Ab ipſis quidem ramis propè abſunt, ſed aliquo tamen intervallo itaq; enaſcuntur utrinq;, ut in medio ipsæ non contingant ſe mutuo, ſed tramitem relinquant, quo ſanguis labi deorſum, ac reliquis ordine ſubſequentibus valvis æquè incidere poſſit. Hoc poſito: eſt enim ita manifeſtum, ut probationis non indigeat, niſi æquilibritatem (ſic ἰσονομίαν, ſi placet, appellemus) è corpore penitùs tollere velis: verendum utiq; non fuerit, ne valvarum gratia corporis partes ſuperiores, genio ſuo defraudentur: contra inferiores quadam prærogativa ſeu loci, quo vergunt ſua ſponte humores, ſeu exercitiorum, in quibus artus aſſidue verſantur, immodica copia prægraventur. Eſt enim certè hîc non tam ad ὁρμὴν ſive ῥοπὴν humorum attendendum, quàm potiùs ad naturam, quæ in corporis adminiſtratione ſua jura habet, & ad vim partis cuiusq;, qua ab illa velut dotata eſt. Natura cum toti moderetur etiam

am clavum teneat & gubernaculum humorum necesse est, absq; quo foret, perpetua in corpore metuenda esset ἀναρχία ἀσύνταχτος: cuiusmodi animadvertere licet in ὀρχασμῷ, natura humorum rabie & furore de statu atque fastigio imperii sui dejecta. Tum enim humor naturæ frenum excutiens, ferocitate exultat, sibiq; permissus ac ceu æstro percitus, quoquò versus ruit, & passim soluteq; velut oberrans fluctuat, & fluit refluitq; in visceribus atq; venis, non sine præsentaneo principum partium, in quas momentum facit, discrimine, nisi protinùs compescatur. Cumq; magnam in animantium corporibus conformandis rationem natura habuerit τῆς ἰσότητος & ἀναλογίας, sanguinis commeatum geometrica proportione ita distribuit, ut ad unumquodq; membrum, quocunq; loco situm in corpore fuerit, demensum suum redeat: ut non immeritò justiciæ nomen apud Hippocratem obtinuerit. Præterea quævis particula, modo sibi constiterit ipsa, tantum suoptè instinctu attrahit, quantum ex usu est, idq; fibrarum, quibus intexta est, ministerio, modò evidenter, motuq; locali, modò sine sensu & quasi in quiete, perinde ut fibræ carnis aliquid, vel nihil habuerint. Si jam etiam venæ conditæ sunt αἷμα τῶν ἕνεκα ῥύσεώς τε ἅμα καὶ τῆς εἰς πάντα τὰ μόρια φορᾶς, hoc est, non solum sanguinis in partes ferendi derivandiq; gratia, sed ut ad elaborationem eius nonnihil conferant, dubio procul cursum & impetum sanguinis, dum coctio-

ni

ni eius incumbunt, ipsæ quoq; retardabunt, si-quidem ad omnem ἀλλοίωσιν quiete opus est. Ex quibus jam hoc sequitur, quæ natura sanguinem ad partes superiores attrahit, ibidemq; tam diu detinet, ac ceu suspendit, quoad sibi id, cuius egent, inde libaverint, ne unquam desit penus ad alendum necessarius: eadem humorum impetum, qui κάτω fit & pessum, ita moderatur, ne partibus inferioribus oneri sit, multò minùs exitio, ut nulla adeò in loco prærogativa esse, neq; inferiores plus privilegii partibus superioribus habere possint. Idcirco primæ debentur naturæ, secundæ valvulis: neq; hæ solæ sufficiunt ad sanguinem suffrenandum impediendumq;, quo minus largiter partibus inferioribus affluat. Est vero in hoc quoq; magnopere commendanda naturæ solertia, quòd ramis, in quos cava multifariam in artubus difficditur, valvulas subjicere maluit, quam ostiis eorum præponere. Sic enim regurgitatio humorum exclusa fuisset, quæ quantoperè conducat, non solùm de revulsionibus artis nostræ, sed de fœmineo etiam sexu manifestum est. Virginibus adolescentioribus, & mulieribus paullò ante illum circuitum, quo menses sunt soliti promanare, aut his etiam præparcè stillantibus: adhæc tempore gestationis uteri, præsertim embryo infirmo, & gravidis ἀδηφαγίᾳ laborantibus, pleniореq; victu sese saginantibus, sæpenumero sanguine feculento, aut subventaneo eti-

am flatu de continente caloris motione non secus ac spuma in lebete genito, varicum in modum adeò turgent venæ femorum, poplitis, & quæ imos talos occupant, quo loci maximè inter se implicitæ glomerantur, ut distensa supra modum cutis tenerascat, & jam jam pertimescenda sit vasorum ruptio: quas tamen eventu constat profusione liberaliore, aut fœtu in lucem edito, postea inaniri rursusq; sidere. Id autem fieri omnino non posset, si, quemadmodum in corde, ita in venis valvulæ penitùs ipsarum ostia obturarent. Qualis fiat discursus humorum ultrò citroq;, redarguunt in febrium horroribus, rigoribus, perfrigerationeq; extremorum universa, in panicis item terroribus, & repentinis, animumq; percellentibus motibus, pallor & algor totius corporis. Quin etiam chyrurgorum vulgo eiusmodi παλινδρομία non est incognita: qui in suo illo apparatu sectionem venæ antecedente uno vinculo partem membri superiorem paullum ligant, priusquam vero inferiori alterum injiciant, membrũ aliquandiu sursum versus mulcent, vinculoq; perstringunt, quo eum ad locum, cui scalprum adigendum est, sanguis protrudatur, eoq; distenta vena magis fiat obvia. Porro quemadmodum venis robur addere, dilatationemq; earum impedire possint ostiola, equidem non video, cum nusquam corpus venarum delicatius sit et gracilius, nusquam textu constet rariore, & tantum

tum non, ut videtur, lacero, atq; ubi membranulæ illæ velut abscedunt. Ea propter vel lenissimo inspiratu inserti calami illicò forâs protuberat in quendã utriculum, qui in tenellis suibus, quasi ampullæ instar obtinet, tunicaq;, quæ in bulbis cæparum reperitur, nihilo densior est: qui conceptus sanguis mora diuturniore detinetur, ut eò commodius a surculis in externos musculos abeuntibus, quibus cava utrinq; fruticatur, attrahi possit. Præter hunc usum non ausim ego membranulis ascribere alium. Num alicubi venæ τῆς Δραπηδήσε, hoc est, sanguinis sudorulẽtæ transcolationi sint opportuniores, aut perindè obnoxiæ, haud scio. Epatis parenchyma solum excipio, cuius venas omnium, quæ sparguntur in corpus, tenuissimas natura machinata est, utpote principio gignendi sanguinis vicinas, neque ulli quicquam perpetiendi periculo expositas. Sedem enim habent tutissimam in suo viscere, extrà quod postea ipsis alia induitur tunica, ne periclitentur, dum vel longiore feruntur tramite, aut alicubi suspenduntur, aut duriori corpori (velut ossi) incumbunt.

Secundum hæc, quæ a me dicta sunt hactenus, ita jam finiri ostiola possunt, ut in venis crurum & brachiorum nihil aliud esse dicantur, quàm ἐπάνθισμα (liceat enim mihi Dionisii ex Ephesio novum nomen huc arcessere & rei novæ accommodare) ἢ ἐπίκτητον ἀγκείδιον τοῦ αἵματος, id est, efflorescentia seu portiuncula

quædam tunicæ venarum, referens dimidiati orbis in plano, aut lunæ cornutæ figuram, interiusq; abscedens, ut peculiare quoddam sanguinis vasculum, intrà venarum amplitudinẽ constituat, in quod divertens ipse, eatenus possit detineri, quoad a vasorum rivulis, ad latera cavæ foràs elabentibus, hauriatur, neque præproperè prætervecti usufructu externæ partes defraudentur. Statim ineunt valvæ suprà subterq; post alarum inguinumq; adenes, proximè sub ramorum eductionibus locatæ, & ad medium usq; capacitatis venarum pertinentes. Passim occurrunt, sed conjunctim tamen semper geminæ, utrinq; scilicet una, nisi paullò suprà transversa ligamenta, quæ fasciarum ritu tendines manuum, pedum, ac digitorum continent, ubi venarum amplitudo coarctari incipit, ideoq; simul valvarum διδυμότης deminui, donec penitus evanescant. Numerus earum prorsus incertus est, & verò intervalla, quibus disclusæ sunt, admodum disparia: ipse positus aliâs magis, aliâs minùs ordinatus serie, ferè alterna ut sequentium membranularum cornua, præcedentium media sive convexa respiciant & vicissim.

AD-

ADVMBRATIO OSTIOLORVM, VT SESE ILLA OBTVLERE IN CADAVERE ANNO 79 mense Decembri dissectioni nostræ subjecto.



PRæsens figura crura petentis venæ inflatæ & supra subterq; abtruncatæ portionem commonstrat, quemadmodum foris ea apparet. Ac A quidem superiorem eius regionem propè poplitem. B. vero inferiorem & humiliorem: C. ramum indicat è dextro latere forâs prorumpentem in musculos, ut nutrimento eius educentur.

D & E. valvulæ ramo illi subjectæ dimidiam duntaxat faciem notant foràs quasi in loculum protuberantem, in quo morari aliquantisper sanguis possit.

Hæc



Hæc altera eandem portionem oculis ſubjicit, ſed in longum diſſectam, ut interior eius facies innoteſcat.

A. B. C. characteres idem ſignant quod in priore.

D. valvulam ſubjectam laterali ramo, non paſſam illam, ſed venæ corpori preſſè attenſam: quæ orbem dimidium non complet, ne poſſit intermediam capacitatem venæ intercludere, ſanguinemq; inferioribus intercipere. E. monſtrat alteram valvam in ſiniſtra hîc rejectam, ubi aliqua adhuc ſui parte adhæret. F. Corpus venæ ſub valvula multò quàm alibi, tenerius & quaſi lacerum, ut valva inde abſtracta eſſe alicubi videri poſſit. G. meta unde valvæ panduntur atq; aperiuntur, & in quam exit earum circumferentia. H. I. Imi valvarum ventres, in quos ſanguis demergitur. K. orificium rami lateralis, qui C. litera notatus eſt,

cui

cui valvula. D. famulitium quoddam præstat insistendo demorandoq; sanguine: aliter præterfluens ipse minùs commodè attrahi posset.

DE VALVA ILEI FORIBVS AD INTROITVM IN COLVM PRÆFECTA.

PRæter enumeratas, & jam demonstratas valvas, aliam nobis secundum cadaver exhibuit, illic intra capacitatem intestini latitantem, ubi Ileon & colum sunt contermina, satis crassam illam ac firmam rigidamq;, sed quæ ita Ilei foribus obderetur, ut illabenti fæci, jam exsuctæ ab intestinis gracilibus cedere posset. Nam intrò spectabat, margini coli, quæ id dextro reni & femur moventi musculo objacet, affirmata. Fortuitò ea nobis inventa est. Etenim cum stylum per apertum a nobis cæci intestini caput inseruissemus, dein per capacitatem coli trajectum cuperemus intra Ileon adigere, semel atq; iterum in obstaculum incurrimus. Dissecto postea colo valvula conspecta est, cuius objectu conatus noster fuerat elusus. Hæc dum fex sordidior in colum detruditur cedere solet, posteaquam incidit illicò claudi, ne quid eius in Ileon remigret. Quod fieri equidem nonnunquam posset in vehementiore corporum è dextris in sinistra versatione. Sursum autem procuratam intestinorum inflationem valva

ideo

ideo non impedit, quòd turgidis spiritu intestinis capacitas reddita amplior nequeat ab illa obserari. Eadem valva non ita dudum in Castore seu Fibro reperta nobis est non in ipso statim confinio Ilei coli & cæci: sed in interna cæci capacitate ita Ilei exitui præposita, ut cæco versus sinistrum admodum firmiter adhæreret essetq; carnosior: dextrorsum vero, quà geminæ coli tubera respiciebat ἀπιγλωτιδῶς in modum à carnoso illo principio velut gracilescens incubaret, & vicissim aperiri ac claudi versus illam partem ingenuè posset.

FINIS.

NORIMBERGÆ,
In officina typographica Catharinæ Gerlachiæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-139994-p0194-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-139994-p0195-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-139994-p0196-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-139994-p0197-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-139994-p0198-5

Ala 4139

X22034 69

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-139994-p0199-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-139994-p0200-8

TRES

ORATIONES.

PRIMA

De cognitione herbarum, tyroni medicinæ apprimè necessaria.

SECVNDA

De Moschi aromatis preciosissimi natura & efficacitate.

TERTIA

De disciplina Anatomica, quo orsu cœperit, & quomodo sensim aucta, & ad posteros transmissa sit: tum de Galeni libro, qui de ossibus inscribitur, & tyronibus nuncupatur.

QVAE HIS ANNEXA SVNT, PAgella sequens exhibet.

AVTHORE

SALOMONE ALBERTO, Medicinæ Doctore & Professore eius in Academia Vitæbergensi publico.

NORIMBERGAE.

ANNO

CIↃ IↃ XVC.